4° Diss. 3163 12
II. Vol LXXX
21
Diss. 4° 3163 12

IDEALISMVS FVNDAMENTO DESTITVTVS

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QVAM

DEO CLEMENTISSIME IVVANTE,

RECTORE ACADEM. MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE

AC

DOMINO,

DOMINO FRIDERICO,

DUCE AC PRINCIPE HEREDITARIO MECKLENBURGICO,

PRINCIPE VETUSTÆ GENTIS HENETÆ, SVERINI, AC RACEBVRGI

COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII

ET STARGARDIÆ DOMINO,

DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

H. L. Q. C. ANNO MDCCLII. D. XXVIII. IVN.

PVBLICE DEFENDENT

IOHANNES CHRIST. ESCHENBACH

PROF. PHILOS.

ET

IOHANNES GEORGIVS PETRVS MOELLER

ROSTOCH. TH. C.

ROSTOCHII,

TYPIS IO. IAC. ADLERI, SERENISSIMI DVCIS AVLICI,

& ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

51

Si qui nonnullos, Philoſophorum adeo nomen ſibi tribuentes, ſerio defendere audiant, quod corpora ſenſibus a nobis percepta non extra mentem realiter exiſtant; aliosque contra, quod exiſtant, evincere deſudare: illos forſitan putant inſanire dignosque qui Anticyram amendentur, ſententiam quippe ſtabilientes a nemine niſi delirante affirmatu poſſibilem, nullisque innixam rationibus; hos autem puerilia tractare, inutilemque prorſus et ridiculum ſuſcipere laborem, longa verborum ambagine et vel methodo mathematica commonſtrantes exiſtere, quod exiſtere hominum omnes oculis vident, auribus audiunt, manibusque palpant. Aſt hi, ſi ita ſtatuerent, ſe in cauſa minus perſpecta iudices agere, et ſi tacuiſſent, manſiſſe Philoſophos, ſciunto. Qui enim Idealiſtas mente captos eſſe et absque vel umbra probationis corpora negare arbitrantur; eo ipſo ignorantiae ſuae, quod adverſariorum ſcripta non legerint, aperta peritis exhibent teſtimonia. Quo enim facto intelligerent, diſputabile (contra ſe) admodum eſſe, ſi alter uter eorum, qui corpora exiſtere negat qui affirmat, inſaniens eſſet ſalutandus, utrum hic an ille hocce titulo debeat honorari. Ecquis enim, ut ſimili exemplo utar, alteri delirium exprobrare maiori poterit iure, is qui ſolem, quem circa terram rotari hominum omnes oculis ſuis vident viderunt atque viſuri erunt, affirmat in medio ſtantem telluremque circum ſe in gyrum ducentem, an qui negat? Quin, ſe eſſe eosdem ipſos quos mente laborare dicunt, Idealiſtas animadverterent; concedentes nimirum et ſtrenue aſſe-

rentes eiusmodi positiones, ex quibus Idealismus deducitur. Id quod num mirabile dictu? Num quid magis frequens, quam ut ipsimet in principiis simus haeretici detestabiles ac rei, quos in conclusionibus damnamus iudices severi? Qui autem contra Idealistam disputantes leviora et inutilia suscipere arbitrantur; si negotium hocce putant leve: pedem quaeso cum Idealista Philosopho conferant, et futurum, ut ne verbulum ad eius rationes respondere forsitan queant, in antecessum credunto. Si inutile: non de corporum solum realitate, sed etiam per consequentias de principiis quibus omnis cognitio humana innititur, agi existimanto. Interim perinde est, quidquid sentiant, qui Philosophiam non nisi per famam noscunt, in eius campum autem fere interminabilem excurrerunt nunquam. Sufficit a rerum Philosophicarum peritis, qui ideo hac in causa compellandi sunt aestimatores iudicesque competentes, hancce materiam haberi hucusque nondum satis excussam, digniſſimamque quae accuratius rimetur. Horumque adsensu fretus arbitror, operam licet ea in re laudabilem Viri celeberrimi, e.g. Perill. Wolffius *in Theol. N. P. II.* §. 644, et Doctiſſ. Carpovius in Diſſ. *Idealiſmus ex conceſſis explosus*, et ante eos alii, iam impenderint, non tamen, qui praeeuntibus hiſce omnibus corporum existentiam evincere conantur, censendos esse post Homerum tentare Iliadem.

Rostochii. 1752.

Contra Idealiſtas diſputaturus: I. eorum definitionem §. 1, hypotheſin §. 2-6. claſſes palmarias §. 7-9. propoſui. II. argumenta, quibus ſententiam ſuam ſtabilire intendunt, omni qua unquam fieri potuit rigore atque ingenuitate exhibui §. 10-17. III. quae deinceps reſolutione, arbitror, ſufficiente labefactavi §, 18-25. IV. exindeque hypotheſin dictam fundamento prorſus deſtitutam eſſe concluſi §. 26. V. meditationem denique brevibus ſubiunxi, qua corporum realitatem non contra eos ſolum, qui eamdem negant, ſed eos quoque qui in dubio relinquunt, evincere periculum feci, §. 27-34.

§. 1.

Quem incauta et a ſenſuum fallacia particulari ad univerſalem temeraria et illegitima illatione concludens dubitatio gignit nutrit ſuſtentat atque defendit, Idealiſmus in ea praeſertim conſiſtit ſententia, quod ſubſtantiae materiales, quas viſu auditu olfactu guſtu tactuque apercipit cogitans homo, non ſint niſi merae huius cogitantis ideae, adeoque non niſi in eius mente realem ſuam habeant exiſtentiam. *Is* vero Philoſophorum) a (*qui Idealiſmum aſſerit defenditque*, *Idealiſta*, aut Immaterialiſta *ſolet appellari*. Quorum exempla non recentiorem

demum ſed antiquiſſimam iam edidiſſe aetatem facile comprobari poſſet, niſi inſtituti ratio ut in ipſam potius Idealiſmi naturam intimius inquirerem, poſtularet.

SCHOL. Idealiſtas Philoſophorum nomine a quibusdam indignos cenſeri, quin delirantibus annumerari conſtat. Verum, ſi Philoſophi nomine dignus eſt, qui aſſerta ſua ex principiis deducit rationibusque firmat haud levibus: Idealiſta profecto hunc titulum vendicare ſibi poteſt.

§. 2.

Scriptis licet hactenus non ſane multis (a) mentem ſuam ſyſtematice conſignaverint, publicoque ſubiecerint eruditorum examini, Idealiſmi fautores: ex iis tamen quae cum litteratorum orbe communicata ſunt monumentis, in quonam praecipue huius ſententiae cardo vertatur, quinam ſit fons, quaenam munimenta, erui ſatis atque diiudicari poterit. Nimirum Idealiſta, antequam talis eſt factus, communiter cum hominum Philoſophorumque qui Dualiſtarum nomine hodie ſolent inſigniri, reliquis omnibus ſe exiſtere tamquam ens intelligens corpus organicum extraideale habens cognoſcit atque affirmat. Poſtea autem rationibus nonrealitatem corporum extraidealem commendantibus commotus, incipit fieri Idealiſta; id eſt, corpus ſuum organicum reliquaque omnia vere extra ideas cogitantium exiſtere negat, atque hinc, ſe exiſtere tantum qua ens intelligens, ens cogitans (b), Spiritus, animus, mens, anima, aut quocunque nomine uti quis velit, deciſive affirmat. *Palmaria* igitur, quae ſymbolum *Idealiſtarum* abſolvit atque uno ore ab omnibus defenditur, haec eſt *propoſitio*; *Corpus organicum, quod ſuum dicit homo* quodque ſibi ſemper praeſens eſſe animadvertit, *neque minus reliqua omnia quae exiſtere videt audit tangitque corpora*, non exiſtunt realiter extra cogitantis ideas, ſed *ſunt tantum merae eadem cogitantis ideae*, ſunt tantum entia apparentia et phaenomena; ſic ut ſi non exiſteret ens cogitans ſubſtantias materiales, ex quibus mundus aſpectabilis conſtat, ſibi repraeſentans, cuique hae ſubſtantiae ad inſtar idearum inexiſterent, prorſus non exiſterent ſubſtantiae corporeae omnes. Exinde, quod ob ſequentia ſubiungimus, patet

I. Idealiſtam deciſive negare corporum realitatem extraidealem; nec utrum corpora exiſtant an non, in dubio et ſuſpenſo relinquere.

SCHOL.

SCHOL. (a) Ad Scripta ab Idealiſtis in lucem emiſſa publicam, quantum mihi quidem conſtat, pertinent praecipue, *Three Dialogues between Hylas and Philonous*, editi a *Georgio Berckeley Londini* 1713. atque nuperrime in Linguam Gallorum translati ſub titulo, *Dialogues entre Hylas et Philonous.* 1750; porro, *Arthuri Collier Clavis Univerſalis, or a New Inquiry after Truth.* Lond. 1713. cuius vero cognitionem aliam non habeo, ac quam Acta Erud. Lipſ. Süppl. Tom. VI. p. 244. ſuppeditarunt; denique quae *Bayliüs Dictionario Hiſt. crit. Artic. Zenon*, Idealiſtam agens exhibuit.

SCHOL. (b) Idealiſtarum quidam inter ens cogitans diſtinguunt atque ſpiritum; quidam vero minus. e. g. *Berckeley* editionis gallicae p. 210, *toutes les fois que je parle d'un être penſant, je ſuis obligé d'entendre par là un eſprit - - tout ce qui a en ſoi des idées, ne peut manquer d'être un eſprit.*

§. 3.

Quod ut eo rectius pateat; ut mentem Idealiſtarum rite eruat ſcripta eorum legens: quaedam erunt notanda. Primo, diſtinguantur neceſſe eſt termini, *realiter exiſtere*, et, *realiter atque extraidealiter exiſtere.* Idealiſta enim (quod initio legenti mirabile apparet) aeque ac NonIdealiſta loquitur (a) conceditque, univerſum mundum mechanicum corporaque totalia eum conſtituentia, ſolem, lunam, terram, ſtellarumque reliquas exiſtere vere et realiter; ſolem illuminare atque fovere tellurem et viciſſitudinum noctium dierumque aeſtatis hyemisque etc. eſſe cauſam. Concedit in tellure noſtra vere et realiter exiſtere corpora quae dicuntur partialia, animata et inanimata, tempeſtatem eſſe ſerenam, ningere, pluere etc. Dicit conceditque corpus ſuum vere et realiter exiſtere, genitum eſſe, cibis ali, aegrotare, ſenectute langueſcere etc. Concedit, corpora eorum, qui dicuntur parentes, uxor, liberi, domeſtici, concives, et generatim homines, exiſtere vere et realiter; homines in terra ſerere plantare metere, variaque inter ſe miſcere negotia etc. Brevibus; concedit mundum viſibilem, corpora coeleſtia terreſtriaque exiſtere realiter et admirandae pulcritudinis, ſtupendi ordinis, ineffabilis praeſtantiae ſpecimen eſſe; eventuum naturalium ſeriem concatenatam, ſucceſſionem ordinemque exiſtere realiter, et a ſe videri auderi tangi ſentirique pro ſitu corporis organici in mundo materiali. Haec omnia loquitur et aſſerit aeque ac NonIdealiſta. Sed quo ſenſu? Exiſtunt haec omnia *realiter*, *id eſt*, *extraidealiter* et vel nemine cogitante; ſunt entia per ſe et extra ideas

cogitantis cuiuscumque exiſtentia : ait hic. Exiſtunt *realiter*, *id eſt*, *idealiter* tantum, ait ille (b) ; non ſunt niſi merae cogitantis ideae ; ſunt entia quae nullam haberent realitatem , niſi exiſterent mentes quarum eſſent ideae ; corpus meum , corpora parentum , uxoris , liberorum, concivium , urbs quam inhabito , non ſunt niſi meae ideae, vel ſaltem alterius cogitantis. Ut exemplo utamur, Idealiſta aeque ac NonIdealiſta matutino tempore ſolem oriri videt , aviculos cantus edere audit, flores evaporare odores odoratur, ientaculum guſtat, amici advenientis oſculum tactu percipit. Uterque uno ore haec ſentire aſſerit. Sed quo ſenſu? Sol quem video , exiſtit realiter extra meas ideas , ait hic : exiſtit realiter intra meas ideas , eſt mera mea idea , ait ille. Quos canere audio , cantores alati exiſtunt realiter et extraidealiter, dicit hic ; exiſtunt realiter ſcilicet idealiter , dicit ille. Atque ſic in caeteris ſimiliter.

SCHOL. (a) Berckeley p. 215. „*Nous ſommes*, inquit, *comme enchâinés à un corps, c'eſt-à-dire, que nos perceptions ſont liés à des mouvemens corporels*„. p. 280. *Vous avez paru ſouvent croire que je ſoutenois que les choſes ſenſibles n'exiſtoient point ; au lieu que dans le vrai, perſonne ne peut être plus certain que je le ſuis de leur exiſtence - Chaque choſe qu'on voit, qu'on touche, qu'on entend, en un mot qu'on apperçoit par les ſens, eſt veritablement un être réel dans les principes que j'embraſſe.* Conf. Ibid. p. 120. 121. ſq.

SCHOL. (b) Berckeley Ibid. p. 281 - *quoique je nie à la vérité qu'elles ayent une exiſtence différente de la qualité d'être apperçues, ou qu'elles exiſtent hors de tous les eſprits, quels qu'ils puiſſent être.*

§. 4.

Deinceps quoque notandum, quod Idealiſtae, licet ideas rerum ſenſibilium quibus mundus adſpectabilis conſtituitur ſibi ineſſe communiter aſſerant, in alleganda tamen harum idearum cauſa inter ſe maxime diſſentiant. Interrogati enim, quaenam ſit haſce in ipſis excitans ideas cauſa ; vi hypotheſeos quidem , corpora in animam effective agendo easdem producere negant uno ore; ſed alius tamen, Deus, inquit , immediate mihi imprimit ſive excitat ideas omnium quas video audio ſentio rerum; alius vero, Anima mea, reſpondet, vi ſui ipſius propria producit in ſemetipſa omnes haſce ideas in continua ſerie, absque efficiente ullius entis extrinſeci concurſu. Qui diſſenſus maximi eſt momenti ; et ad ſequentia adducenda praebet anſam. 1.

I. Idealiſtarum non quivis omnes animae repraeſentationes a vi eius intrinſeca pendere fateatur neceſſe eſt; prouti Cel. Carpovius arbitratur (a). Quin potius, qui ſcriptis hactenus mentem ſuam propoſuerunt omnes, Carteſii principia ſequentes, Deo cogitationes de rebus ſenſibilibus ſibi inexiſtentes adſcribunt.

II. Idealiſta utriusque claſſis aſſumit, quod etiamſi corpus ſuum et totus mundus viſibilis extraidealiter non exiſtat: anima tamen ſua, ſive potius ipſe qui eſt non niſi anima, omnes haſce, quas nunc de mundo viſibili habet ideas, foret habitura, ac ſi vere et extraidealiter exiſteret mundus; idque vel per vim animae, vel per impreſſionem Dei.

III. Prioris claſſis Idealiſta Deum exiſtere, et omnes ſuas rerum quas videt audit tangitque cogitationes eſſe miracula concedat neceſſe eſt. Notandum autem, quod Deum exiſtere non concedere teneatur vi hypotheſeos idealiſticae, id eſt, quia realitatem corporum extraidealem negat; ſed vi eius, quod huic hypotheſi ſuperaddit aſſerti, ſcilicet, quia, negato quod corpora ipſa ceu non extraidealiter exiſtentia poſſint excitare haſce cogitationes, ad Deum ceu earundem cauſam confugit.

SCHOL. (a) Diſſ. *Idealiſmus ex conceſſis exploſus*, §. 24. „*Pro hypotheſi*, inquit, *quam veram putat eſſe Idealiſta, nullum animae corpus adjunctum eſt; neque adeo ratio ullius mutationis, quae animae accidit, in corpore quaeri poteſt. Idealiſtae igitur, omnes animae repraeſentationes et appetitus a vi eius inſita pendere fatendum eſt. Loquor de caſu mutationum animae naturalium.* Conferatur in contrarium Berckeley pag. 136. *je conclus donc de la, qu'il exiſte un eſprit, qui m'affecte à chaque moment des impreſſions ſenſibles que je reçois.*

§. 5.

Adſtructa propoſitione, qua corporum extra ideas exiſtentium realitatem negat Idealiſta (§. 2.). eo ipſo (quoniam is qui ſe eſſe ens intelligens cognoſcit, corpus vero ſuum organicum non extraidealem habere realitatem aſſumit, ſe eſſe nil niſi ens intelligens aſſerat oportet) hancce aſſerit propoſitionem, *Ego exiſto tantum qua ens intelligens*, ſive, ego exiſto qua ens intelligens absque ut haberem corpus organicum extraideale. Quam ſive diſtinctam dicas a palmaria illa (§. 2.), et ex illa conſequentiae immediatae inſtar ſequi affirmes; ſive unam eamdemque cum illa eſſe et non niſi terminis diſcrepare; adeoque, ſive duas eſſe quoad ſenſum convenientes propoſitiones, ſive unam duplici modo expreſſam: perinde eſt omnino. Sufficit (ſi duas eſſe diceres), qui unam affirmat vel negat, eo ipſo etiam affirmare alteram vel negare. Sufficit, utramque ab Idealiſta qua tali debere tueri,

et ab eorum nemine quamdiu est talis posse deseri. Sufficit, pro lubitu earum quamlibet ceu fundamentalem atque palmariam Idealismi propositionem assumi, et ex assumta pro arbitrio una conclusionis instar immediatae deduci posse alteram. Notandum adhuc

I. Quod Idealista decisive affirmet propriam sui ipsius existentiam; esse non posset Idealista, eam nisi affirmaret. Nam qui se existere tantum qua ens intelligens, sive, se existere absque ut habeat corpus organicum extraideale asserit: se existere positive pronuntiat.

II. Quod Idealista vi hypotheseos existat tantum qua ens intelligens, spiritus, anima. Adeoque si non existeret qua ens intelligens, qua anima: prorsus non existeret. Hinc locutiones, *ego existo*, et, *ego non existo tantum qua ens intelligens*, in ore Idealistae alium habent, ac in ore Nonidealistae sensum. Illa enim in sensu Idealistico denotat idem ac, *ego existo tantum qua ens intelligens*; haec vero idem ac, *ego prorsus non existo.*

§. 6.

Se esse spiritum finitum sive ens intelligens finitum (a), uno ore concedit Idealistarum quilibet; adeoque se ad classem rerum, qui spiritus finiti nomine insigniuntur refert. Sed quaesiti, quidnam est spiritus finitus? num est ens per se, absolute, vel extra ideas cogitantis cuiuscumque et nemine cogitante existens, ens extraideale; an non? respondentes maxime inter se dissentiunt. Atque id quidem scripta eorum legenti admodum notatu erit dignum. Alius enim, dum se spiritum finitum dicit: termino huic receptum in communi vita significatum iungens, se statuit esse ens per se existens, ens extra ideas cogitantis cuiuscumque (etiam spiritus infiniti, si talem esse assumat), ens quod non est mera alterius cuiusdam cogitantis idea, ens quod sic existit ut etiamsi nunc, quum existit, nullum aliud prorsus existere sumeretur ens sive finitum sive infinitum, quod eius sibi formaret ideam, esset tamen hocce quod nunc est ens intelligens. Et talia entia esse etiam spirituum finitorum reliquos, eosdem si admittit, affirmat. Alius autem (pro more omnium qui studio receptum terminorum significatum deserentes cum aliis quidem hominibus eumdem sermonem non eamdem mentem habent), dum se spiritum finitum asserit: se esse statuit, non, ens quod per se et independenter ab ideis et extra ideas cogitantis cuiuscumque et vel nemine cogitante existeret, sed, ens

quod

quod non eſt niſi mera cogitantis alterius, ſaltem ſpiritus infiniti idea; ens, quod quemadmodum corpora ſunt ideae ipſius, ſic ipſum non eſt niſi idea, non quidem ſui ipſius, ſed alterius ſpiritus, infiniti praeſertim et ultimato. Taliaque entia ſibi concipit ſpirituum finitorum, ſi quos admittit, omnes. Dictis addo ſequentia.

I. Poſterioris claſſis Idealiſta ſe omniaque entia finita, eadem ſi admittit, ultimato eſſe non niſi ideas ſpiritus infiniti, adeoque non eſſe entia per ſe, abſolute et extraidealiter, ſed reſpective tantum et idealiter exiſtentia aſſerit. Concedit quidem, ſe exiſtere extraidealiter reſpectu cuiuslibet ſpiritus finiti, ſi alios ſpiritus finitos non negat; ſpirituumque finitorum alium exiſtere extraidealiter reſpectu alterius finiti. Nihilo tamen minus ſe et reliquos omnes non exiſtere niſi idealiter reſpectu entis infiniti, defendit.

II. Eiusmodi Idealiſta exiſtere Deum concedat neceſſe eſt; non quidem vi hypotheſeos Idealiſticae, ſive quia ſe exiſtere tantum qua ſpiritum finitum affirmat; vi tamen eius, quod huic hypotheſi ſuperaddit aſſerti, ſcilicet, quod ſpiritus finitus non ſit exiſtens extraidealiter extra mentem cogitantis cuiuscunque.

SCHOL (a) Qua ratione Idealiſta, ſe eſſe ens cogitans cognoſcat, exinde ſe eſſe ens cogitans rationale ſ. ſpiritum, et denique ſe eſſe ſpiritum finitum concludat: hoc loco ut oſtendatur ſcopus non requirit.

§. 7.

Se exiſtere aſſerit omnis Idealiſta (§. 5. I.) Praeter ſe vero dari adhuc ſpirituum finitorum alios, concedit non omnis; indeque iterum eosdem in claſſes dividere neceſſe eſt, quarum quaelibet ſuam ſortitur denominationem. Sunt enim, qui praeter et extra ſe (extraidealiter reſpectu ſui) exiſtere aſſerunt alia entia intelligentia finita, hominum aut alio nomine venientia (a); quique ideo, quia plures admittunt ſpiritus finitos, *Pluraliſtae* dicuntur. Sunt vero etiam, qui reliquos ſpiritus finitos praeter et extra ſe exiſtere negantes, ſui ſolius tantum, realitatem adſtruunt, adeoque *Egoiſtae*, quia, ſolus ego exiſto ſpiritus finitus! pronuntiant, appellari ſolent.

I. Tam Pluraliſmus quam Egoiſmus ſupponunt Idealiſmum. Impoſſibile eſt ut quis ſit vel Pluraliſta vel Egoiſta, niſi antea ſit Idealiſta.

II. Omnis Idealiſta eſt vel Pluraliſta, vel Egoiſta; Quod ſi enim verba Idealiſtarum ſpectas, fieri poteſt, ut alius admittat plures ſpiritus finitos exiſtere, alius vero ſe unicum eſſe, qui exiſtit, ſpiritum finitum aſſerat.

§. 8.

§. 8.

Pluraliſtarum quilibet praeter palmariam et fundamentalem Idealiſmi propoſitionem (§. 2. 5.) peculiarem hanc, qua ab Egoiſtis diſtinguitur, defendit: *Praeter et extra me exiſtunt plures aliae ſubſtantiae intelligentes finitae, ſpiritus, animae; tales praeſertim quae homines ſolent appellari*; iique non ſolum extraidealiter reſpectu mei, ſed etiam inter ſe invicem unus reſpectu alterius, exiſtunt. Quo in aſſerto conveniunt omnes. Interim, quia ſunt Idealiſtae, varias etiam earum claſſes concipere poſſumus. Poſſibile enim eſt, ut dentur pluraliſtae, qui Deum; alii, qui Animam vi propria, excitare ideas quas de rebus ſenſibilibus habent, affirmant (§. 4.). Porro, dari poſſunt, alii qui ſe extraidealiter reſpectu entis cogitantis cuiuscumque; alii, qui ſe tantum extraidealiter reſpectu aliorum ſpirituum finitorum, et hoſce inter ſe invicem extraidealiter unum reſpectu alterius exiſtere adfirmant, ultimato autem ſe et omnes ſpiritus finitos idealiter tantum reſpectu ſpiritus infiniti exiſtere adſtruunt (§. 6). Denique, quia, qui ſui aliorumque ſpirituum finitorum exiſtentiam aſſerit, non ſtatim exiſtentiam Dei admittit (a): poſſibile eſt, ut pluraliſtae, tam qui Deum affirmant, tam qui negant eundem, concipiantur.

I. Si Pluraliſta Deum eſſe aſſumit; id non vi hypotheſeos idealiſticae (§. 4. III), et pluraliſticae; ſed vi alicuius, quod huic hypotheſi ſuperaddit aſſerti (§ 6 II.) aſſumar neceſſe eſt.

SCHOL. (a) Id quod Spinoza ſuo comprobat exemplo, qui exiſtere entia finita non negavit, et tamen Deum (ens extramundanum) reiecit.

§. 9.

Qua Egoiſta ſe diſtinguit, quamque praeter palmariam Idealiſmi propoſitionem aſſumit, aſſertio haec eſt: *Solus ego ſpiritus finitus exiſto*; reliquae ſubſtantiae cogitantes omnes quas appercipio, homines et ſi qui praeterea dantur, non ſunt niſi merae mihi (aut alii cogitanti) inexiſtentes ideae; quemadmodum ſunt omnes quotquot appercipio ſubſtantiae materiales. Qua in re licet conſentiant omnes: itidem tamen varias egoiſtarum claſſes concipere licet. Dari enim poſſunt, qui Deum; dari poſſunt, qui animam, eſſe idearum ſuarum cauſam aſſerunt. Poſſibile eſt, ut alius ſe eſſe ens per ſe et extraidealiter reſpectu cogitantis

cuius-

cuiuscumque; alius vero ſe eſſe tantum ens ideale, nimirum reſpectu ſpiritus infiniti, ſtatuat. Neque minus alios eſſe qui Deum exiſtere adſerant, alios qui contrarium ſtatuant, negari nequit. Hiſce notatis patet

I. *Quod* ſi Egoiſta exiſtentiam Dei concedit, eam non vi. hypotheſeos Idealiſticae et Egoiſticae; ſed vi alicuius, quod huic hypotheſi ſuperaddit, aſſerti concedat neceſſe ſit.

II. *Quod* Egoiſta extraidealem tam mundi corporei, quam mundi ſpirituum, eventuumque in iis contingentium omnium, realitatem prorſus neget. *Qua* Idealiſta enim corpora, et qua Egoiſta ſpiritus finitos reiicit. (a)

SCHOL. (a) Exinde apparet, quidnam Egoiſta reſpectu obiectorum, quibuscum conſiderandis ſeſe occupat Philoſophia, Dei nimirum, corporum, ſpirituum, ſuique ipſius quoad corpus ad illa quoad animam ad hos pertinentis, (Deum enim animas et corpora eſſe univerſa Philoſophiae obiecta recte docet Perill. Wolffius Theol. Nat. P. II. §. 639. ſch.) ſentiat. I. Reſpectu mundi corporei et ſpirituum affirmat, quod non realiter et extraidealiter exiſtat. Corpus ſuum proprium; hominum reliqui omnes, parentes, uxor, liberi, domeſtici, concives, aliique quibuscum varia miſcet negotia; reliqua corpora partialia terreſtria, urbs quam iuxta cum aliis inhabitat, corpora brutorum (quae non niſi meras habet machinas viventes ente cogitante deſtitutas), vegetabilia, mineralia etc.; tota corporum totalium compages ſive mundus materialis, ſol, luna, tellus etc., tota in eo contingentium viciſſitudinum phaenomenorum eventuumque in continua ſerie ſibi ſuccedentium ſeries; brevibus, omnia quae in mundo utroque, materiali et rationali facta eſſe perhibentur ab hiſtoricis, phyſicis, aſtronomis, omnes tam quibus ea traduntur libri, tam qui ea litteris conſignarunt autores ipſi; *vi hypotheſeos ſuae habentur ab ipſo pro meris* animae ſuae, ſive potius ſui qua animae, *ideis* (§. 3.). Interim, hoc licet aſſumto, et *ſimul cum hac hypotheſi Idealiſtico-Egoiſtica, aſſumit mundum utrumque tam corporeum quam ſpiritualem, ac ſi vere et extraidealiter exiſteret*; ac ſi corpus ſuum, homines reliqui, corpora terreſtria animata et inanimata, tota corporum coeleſtium ſive totalium compages, omniaque quae in eo contingunt, actu extraidealiter adeſſent. An vero *vi hypotheſeos et ſimul cum hac hypotheſi rite conſiderata et ad ſua ex quibus deducitur principia relata*, hocce aſſumere legitime et ſibi ipſi non contradicens queat, infra conſtabit luculentius. II Reſpectu ſui ipſius, *vi hypotheſeos*, ſe exiſtere deciſive affirmat (§. 5. I.), ſed tantum ſe eſſe ſpiritum finitum, id eſt, limitatis realitatibus gaudentem; ſe facultatem cogitandi et varias cogitationes quarum altera evaneſcente ſuccedit altera ſibi inexiſtentes habere; ſe facultate appetitiva et averſativa gaudere; affectibus ſe commoveri perturbarique, variasque ede-

reactiones etc. assumit. An non vero *vi hypotheseos ad sua principia relatae* assumere teneatur, ex quo contrarium sequitur, infra constabit. III. Respectu Dei; possibile est, ut simul cum hypothesi sua assumat Deum existere, creasse mundum ea prout a Mose narratur ratione, creasse ipsum hominumque reliquos, conservare omnia, providentiamque exercere etc. An vero simul cum hypothesi sua rite considerata, principiis ex quibus deducitur, et quae ex ea rursus sequuntur consectariis pensitatis, haec omnia assumere legitime et cum ratione possit, alia est quaestio infra excutienda. Hisce praemissis, quidnam Egoista respectu officiorum erga se alios homines Deumque sentiat, quidque scientiae polliceri sibi ab eo queant, patet. Nimirum fieri potest, ut *is qui est Egoista* (idemque de Idealista in genere valet) simul cum hypothesi sua assumta, officia erga corpus suum praestanda non asserat solum sed et exerceat sedulo, ut corpus sanum cibis alat, aegrotum medicaminibus restituat, victum amictumque adquirat sibi; porro, ut officia erga alios homines, parentes, uxorem, domesticos, concives, non solum praestanda esse tueatur, sed et ipse praestet, ut parentes magistratumque honore et obsequio prosequatur, uxorem liberos domesticos concives amore favore amicitiaque colat, neminem laedat, bonus sit paterfamilias, bonus civis; porro, ut officia erga Deum exsequenda devotissime esse non solum dicat doceatque sed et exsequatur ipse, ut aliis sese exhibeat exemplar hominis Deum sincere colentis timentis adorantis, ut sit homo pius atque religiosus non philosophice solum sed et christiane (Vid. sch. seq.). Fieri igitur potest, ut is qui est Egoista simul cum hypothesi sua scientiarum theoreticarum et practicarum; tam earum, quae cum rerum compositarum consideratione occupantur, e. g. Astronomiae, Physices, Matheseos, Medicinae etc.; tam earum, quae intellectum emendant, e. g. Logicae; tam earum quae actiones hominum intra et extra societatem civitatemque viventium dirigunt, officiaque praescribunt homini, patrifamilias, civi, philosophice pio quin Christiano, e. g Juris Civilis, Juris Naturae, Philosophiae moralis, Juris Socialis (Oeconomiae, Politicae), Theologiae Naturalis, quin Revelatae, peritissimus sit cultor, fautor, promotorque. An vero *Egoista qua talis et vi hypotheseos, si eam recte pensitare sibique non contradicere velit* dictam sustinere queat personam, res est ulteriori indagine digna. (Vid. infra §. 33 sch).

SCHOL. (b) Mirabitur quis forsitan, quod asserui modo; nimirum Egoistam, quippe quem errorem vel manibus palpabilem maximique in hominum vitam influxus fovere censet, esse tamen posse virum bonum, civem modestum atque morigerum, hominem pium atque religiosum. Verum num miranda sunt, quae quotidie obveniunt? Hominum plurimos statuere propositiones, quae per legitima inde enascentia consectaria existentiam Dei veritatemque eius, quam veram assumunt et ad rogum usque confitentur, religionis evertunt; et nihilo tamen minus, ignorantes

quippe

quippe quid vi propoſitionum hypotheſiumque ſuarum ſtatuere amplectique teneantur, bonos eſſe cives atque chriſtianos practicos, quid vetat? Nonne ii, qui ſanctorum reliquias religioſe colendas anathemate addito praecipiunt, nihilo tamen minus ſolum Deum religioſe eſſe colendum anathemate itidem ſanciunt? Verum, Iliacos intra muros peccatur et extra!

§. 10.

Adductis quae Idealiſmum conſtituunt poſitionibus adducantur neceſſe eſt, quibus firmantur, probationes, et quidem eae primum quae palmariam ſpectant (§. 2.) exhibitam aſſertionem. Quas ex deficiente teſtimonio ſenſuum, rationis atque revelationis deſumtas eſſe ſcripta eorum legens inveniet. Realitatem corporum extraidealem, ait Idealiſta, ſenſus non docent; fallunt enim, atque id quidem eum in modum ut tuto non niſi generaliter deceptores aſſumi a cauto queant. Ratio, tantum abeſt ut argumenta ſuppeditet eamdem evincentia, ut eam potius declaret impoſſibilem atque fruſtraneam, adeoque reiiciendam. Revelatio divina corpora extraidealiter exiſtere nullibi aſſerit. *Quodſi* autem, addit, *neque ſenſus neque ratio neque revelatio ſuppeditant pro affirmanda realitate corporum extraideali rationem: prorſus nullam, corpora extraidealiter exiſtentia adſerere habemus*; exiſtere enim aliquid, non niſi ex horum fontium uno derivamus et non aliter niſi aut ope ſenſuum aut rationis aut revelationis cognoſcimus. *Et ſi praeterea Ratio in contrarium adducit argumenta; extraidealem corporum exiſtentiam negare habemus cauſam.* Adeoque, concludit, corpora affirmare non ſolum nullas, ſed etiam deciſive negare praegnantes habemus rationes. En! generale argumentum, cuius Minor per ſpecialia nunc erunt probanda. Antea vero notes adhuc: quod

1. Idealiſta concedat, id affirmare nos nullam prorſus habere rationem, quod affirmare non habemus rationem ex teſtimonio vel ſenſuum vel rationis vel revelationis deſumtam.

SCHOL. Quod dixi propriis Idealiſtae verbis comprobare potis ſum. Berckeley p. 155. eum in modum loquitur, ſi eius verba latine exprimimus „*Exiſtentiam materiae aut appercipis immediate, aut mediate. Si immediate eamdem cognoſci dicis: dic quaeſo, quisnam ſenſuum eam te doceat. Et ſi mediate: exhibeas quaeſo, quo evincatur, argumentum.* Pag. 222. *Ubi eſt revelatio, quae nos obligaret ad credendum exiſtere materiam?* Pag. 223. - *Opinionem reiicio, quae non habet fundamentum, vel in teſtimonio ſenſuum, vel in teſtimonio rationis, vel in auctoritate revelationis divinae.*“

§. 11.

Sensus non esse testes fide dignos, nec extraidealem docere corporum existentiam, comprobare intendunt, alii exinde, quia sensus sunt decipientes; alii vero ex eo, quod omnes, quae sensibus percipiuntur corporum qualitates, non sunt nisi merae animae appercipientis ideae. *Priores*, sensuum testimonium ob corumdem fallaciam reiicientes, praesupponere hasce solent positiones;

A. Sensus externos fallere in particulari, adeoque facultatem sentiendi ad actum ductam in his vel illis casibus esse deceptricem; experientia docet, et Nonldealista negare nequit.

B. Si quid semel et saepius decepit: semper et generaliter decipiens a cauto est assumendum, eidemque fides habetur a prudente nunquam.

C. Adeoque sensus, sive facultas sentiendi, quando ad actum deducitur, non nisi generaliter, id est, eum in modum fallaces sunt adsumendi, ut vel minime res, quae et quales adsunt, repraesentare sit statuendum; vel saltem sit affirmandum, quod in casu quolibet individuali sciri cum certitudine omnem oppositi formidinem excludente prorsus nequeat, utrum res individualis, quae et qualis appercipitur, sit et talis sit extra mentem appercipientem, an potius minus.

D. Id vero, quod non nisi generaliter fallax est assumendum, ad testimonium de veritate asserti alicuius dandum adhiberi nequit.

atque nunc sequens in formam redactum componunt argumentum;

E. Si sensus externi non nisi ceu generaliter fallentes a cauto sunt assumendi atque prudente: extraidealem corporum realitatem comprobare nequeunt (per prop. D.)

F. Verum est, quod sensus externi non nisi generaliter fallentes sint assumendi (per prop. C.)

G. Adeoque, eosdem non docere corporum existentiam extraidealem est verisimum.

Posteriores vero, corpora ideo negantes, quia qualitates quas visu auditu tactuque percipimus non vere insunt enti cuidam extra mentem existenti, sed merae sunt nostrae ideae; praemittunt hasce assertiones,

H. Corpus quodcumque non est nisi qualitatum sensibilium, e. gr. extensionis, coloris, impenetrabilitatis, dulcedinis etc. complexus. Corpus enim non est nisi qualitates, e. g. extensio figu-

figura, color etc. quas videmus; impenetrabilitas, duritiés, mollities, calor, frigus etc. quas tactu percipimus; soni, strepitus etc. quas audimus; effluvia, evaporationes etc. quas olfacimus, Alii hancce propositionem addita limitatione proferre solent. Corpus, aiunt, quatenus sensibus nobis repraesentamus, non est nisi qualitates (qualitates enim, quas nobis repraesentamus, inesse substrato sive substantiali cuidam, sensus non docent).

I. Quidquid itaque de qualitatum sensibilium complexu valet, valet de corpore ipso.

K. Qualitates sensibiles, affectiones corporum sensu externo a nobis perceptae, non sunt realitates extraidealiter et vel nemine cogitante enti cuidam inexistentes, quaeque distinctae essent a repraesentatione specie et imagine quam de iis mens sibi format; non sunt archetypa extraidealia, quorum ectypum esset imago sive idea mentis; sed potius sunt tantum aliquid ideale, sunt realitates corporibus idealiter tantum, id est, secundum repraesentationem cogitantis, sine qua nihil sunt, competentes. e. g. Extensio quam corpori inesse videmus, color et eiusmodi, non est realitas extraidealiter in corpore quodam existens; sed est tantum phaenomenon, est tantum apparens, in se vero nihil, est tantum aliquid quod nobis cogitamus ac si corpori inexisteret. Assumto enim, quod esset realitas extraidealis; varia assumenda sunt falsa et veritati repugnantia. Nam

a. *Si*, quarum ideas habemus materialiter et formaliter (id est, quas nobis visu auditu tactu etc. repraesentamus, et quidem certa sub qualitate sive forma repraesentamus) *affectiones corporum assumuntur esse aliquid quod realiter extra mentem adest*, et non merae cogitantis ideae; esse realitates corporibus vel nemine cogitante inexistentes; esse ideatum, distinctum ab idea quam cogitans sibi format, ut archetypum ab ectypo, ut res a sui imagine: *assumendum*, *quod posita* affectionis alicuius individualis *idea* materialiter et formaliter in mente formata, *ponenda sit* extra mentem *adfectio* materialiter quoad esse et formaliter quoad tale esse *ei respondens*. e. g. si quis sibi repraesentat altitudinem turris quinquaginta decempedas longam; assumendum, quod non solum extra men-

tem altitudo haec adsit et rei cuidam, quam dicimus turrim, inexistat; sed et quod altitudo haec etiam sit quinquaginta decempedarum, talis nimirum qualis in mente repraesentatur. (Nisi enim affectio s. qualitas, cuius idea in mente formatur, extra mentem adesset et rei cuidam vere inexisteret: affectio non esset aliquid distinctum ab idea, sed potius ipsa idea; quod contra hypothesin. Et nisi affectio sive qualitas sensibilis talis extra mentem esset, qualis in mente repraesentatur: non affectionis huius individualis idea in mente esset, sed alterius; quod itidem contra hypothesin.') *Adeoque assumendum, quod quales sunt repraesentationes et ideae affectionum sensibilium, tales sint ipsae affectiones (sive res) repraesentatae; et vice versa*, prout affectiones repraesentatae sunt in se et extra mentem comparatae, sic etiam eorum repraesentationes in mente sint comparatae. Hoc vero assumto, *assumendum iterum*, 1) *quod una eademque affectio individualis* (una eademque res sensibilis) *unam eamdemque respondentem sibi habeat repraesentationem et ideam in anima cuiuscumque cogitantis*, e. g. quod altitudo et figura turris cuiusdam eodem modo repraesentetur in mente cuiuslibet eam sibi repraesentantis. 2) *quod unum idemque obiectum repraesentatum habeat extra mentem et realiter, affectionem aliquam et simul eius contradictiorie oppositam.* e. g. quod turris quaedam individualiter assumta habeat altitudinem totalem quadraginta decempedas longam, et simul altitudinem totalem non quadraginta decempedas longam, quod habeat figuram teretem et simul non teretem sed quadratam. Nam, ponamus Caium cominus intueri turrim, eamque sibi repraesentare quadratam et quadraginta decempedas altam: tunc turris realiter et extra mentem habere altitudinem quadraginta decempedarum, et figuram quadratam, est assumenda; si enim adest, et qualis adest, in mente affectionis cuiusdam idea, tunc et talis adest extra mentem affectio ipsa (per hypoth.) Ponamus Titium eminus intueri eamdem numero ipsam turrim, eamque sibi repraesentare teretem et viginti decempedas altam; id quod experientia teste negari nequit:

tunc

tunc eadem numero ipſa turris habere realiter et extra mentem dicenda eſt altitudinem totalem viginti decempedarum et figuram teretem; ex eadem modo allegata ratione.

β. Iam falſum eſt poſterius; tam, quod una eademque affectio ſenſibilis unam eamdemque repraeſentationem excitet in mente cuiuscumque eam ſibi repraeſentantis; tam, quod unum idemque obiectum repraeſentatum habeat affectiones contradictorie oppoſitas. Prius per experientiam indubiam comprobatur. Et poſterius, per principium contradictionis ſtabilitur.

γ. Ergo falſum eſt prius; nimirum, quod ab ideis affectionum, quas corporibus ineſſe nobis in mente repraeſentamus, quas videmus audimus tangimus, diſtinctae ſint affectiones ipſae; et quod, ſi et quales ſunt ideae in mente, tunc et tales ſint realiter extra mentem affectiones ſive res ſenſibiles.

atque hiſce praemiſſis nunc ſequenti modo argumentari ſolent;

L. Si omnes corporum qualitates ſenſibiles, e. g. extenſio, figura, durities, color &c. quas nobis repraeſentamus in mente, quas videmus audimus tangimus etc. non ſunt niſi merae mentis repraeſentantis ideae, non ſunt niſi mera phaenomena et apparentia, quae extra mentem ſibi reſpondens atque vere et extraidealiter exiſtens habent nihil: ſequitur ut corpora ipſa ſenſibus percepta non ſint niſi merae mentis eadem appercipientis ideae (per prop. I)

M. Atqui verum eſt prius (per prop. K.)

N. Adeoque verum eſt poſterius.

O. Atque hinc ipſae ſenſuum repraeſentàtiones ſuppeditant rationes corporum realitatem extraidealem rciiciendi; tantum abeſt, ut eamdem doceant teſtimonioque comprobent ſuo.

Prius argumentum ad ſequentem ſubiungendam meditationem praebet anſam.

I. Si quis Idealiſtarum fallaciam ſenſuum tuto non niſi generalem a cauto poſſe haberi atque prudente affirmat: ex hac unice id affirmat ratione, quia ſenſus interdum et ſaepius fallentes deprehenduntur, (ad quod meditabundus attendere vel proprio motu, vel aliorum ſceptico-rum aut Idealiſtarum colloquio ſcriptisque, commovetur); eumque, qui

ſemel

ſemel et iterum decipit, prorſus et generaliter decipientém habere, prudentiam ſuadere arbitratur. Id quod generatim ex ortu diffidentiae, et ſpeciatim diffidentiae Idealiſtarum patet. Si enim fiduciam in quodam collocamus; cui eam prorſus deinceps denegamus et generaliter: aliam id rationem habere nequit, niſi quod nos ab eo interdum deceptos animadvertimus, vel propria attentione vel aliorum admonitione; et decipientem ſemel et iterum habere ſemper et generaliter decipientem, prudentiae eſſe putamus (per exper.). Sic, ſi quis antea fiſus eſt ſenſibus, deinceps vero iisdem diffidet prorſus; generalis haec erga ſenſus diffidentia alio ex fonte promanare nequit, niſi quod ſenſus ſaepiſſime deceptores deprehendantur. Praecipue vero idem quoque ex exemplis eorum, qui Idealiſmum amplexi ſunt defenduntque, comprobatur. Eorum enim quilibet antea eſt NonIdealiſta, atque hinc cum hominum reliquis teſtimonio ſenſuum, corpora extraidealiter exiſtere docentium confidit; et etiamſi ſenſuum repraeſentationes in his vel illis caſibus eſſe fallaces deprehendat nec neget: quod tamen eatenus fallerent, ut corpora repraeſentarent, quae vel prorſus non vel ſaltem talia non, qualia repraeſentantur, extra mentem realiter exiſtant, ne imaginari quidem ſibi poteſt. Deinceps autem ad fraudes ſenſuum particulares attendens, vel proprio motu vel aliorum colloquio ſcriptisve excitatus, ſuſpicari demum incipit, an non ſenſus, in his vel illis caſibus res fallaci repraeſentatione exhibentes, ſemper et generaliter fallerent, et, dum interdum obiecta (e. g. ſpectra, aliosque imaginationis luſus) repraeſentant, quae non revera extra mentem adſunt, ſemper repraeſentent obiecta extra mentem non realiter exiſtentia. Qua ſuſpicione in dies creſcente, ex NonIdealiſta fit ſcepticus, ratione nimirum exiſtentiae corporum extraidealis. Verum enim vero in dubitatione non ſubſiſtit (a). Poſteaquam enim ex ea ratione, quia ſenſus interdum et ſaepius ſefellerunt, ad dubitandum de eorum repraeſentationibus adeoque de corporum realitate extraideali eſt adactus: ex eadem demúm, accedentibus quae ex impoſſibilitate corporum aut ex aliis rationibus ab Idealiſtis deſumuntur, argumentis aſſenſum eius extorquentibus: ad deciſive affirmandum commovetur, quod ſenſuum fallacia pro generali a cauto aſſumi debeat atque prudente, quodque adeo corpora a ſenſibus repraeſentata extraidealiter non exiſtant. Eadem igitur ratio, ſcilicet, quod ſenſus interdum et ſaepius fallunt, NonIdealiſtam transformat in Scepticum reſpectu exiſtentiae corporum, et deinceps in Idealiſtam.

SCHOL. (a) Ex dictis patet, quod ſi quis ex NonIdealiſta fiat ſcepticus quoad extraidealem corporum exiſtentiam, i. e. quod ſi quis, qui antea corpora extraidealiter exiſtere affirmavit, nunc dubitare incipit continuetque, utrum corpora a ſenſibus repraeſentata exiſtant extra mentem, utrum itaque ſenſus corpora repraeſentantes ſint teſtes fide digni, an non; deciſive non affirmans cum Idealiſtis, quod non exiſtant, ſenſusque ſint decepto-

ceptores, nec decisivé negans cum Non Idealistis, quod existant, sensusque ea repraesentantes non decipiant: hanc unice dubitationis suae habeat ratíonem, quia sensus semel ac saepius fallaces sunt deprehensi. Id quod non solum manifestum est ex ortu diffidentiae et dubitationis, modo iam explicatae; sed etiam ex exemplis eorum, qui in statu dubitationis de corporum existentia reali sensuumque fallacia constituti fuerunt. e. g. Cartesius, dum se in eiusmodi dubitationis statu constitutum fingit, disertis verbis, *Sensus interdum*, ait, *fallere deprehendi*; *ac prudentiae est illis nunquam plane confidere, qui nos vel semel deceperunt.* Meditationes de Philosoph. Prim. Med. I.

§. 12.

Rationem non pugnare pro realitate corporum extraideali, sed eam potius destruere prorsus, Idealistae asserunt. Non enim provocant solum Non Idealistarum quemlibet, ut si qua habet in promtu, propinet existentiam corporum evincentia ratiocinia (§ 10. sch.); sed sua quoque, quibus corpora in ideas mutare tentant, callide satis parant atque proferunt ipsi. Quae omnia eo tendere, tam ut corpora esse impossibilia, tam ut frustranea esse comprobetur, ex scriptis eorum patet. Considéremus primum, quibus *impossibilitatem corporum* eunt demonstratum! Quam non solum *ex nonrealitate partium*, quae unquam ceu stamina corporum excogitari assumique possunt; sed etiam *ex impossibilitate aggregationis* partium, hae si quoque entia realia esse concederentur, evincere student. Prius, quod a nonrealitate partium ex quibus corpus componi asseritur, adeoque ab impossibili earum compositione (quidquid enim realiter existens non est: non componi cum aliis, neque compositione sua corpus constituere potest), ad impossibilitatem corporum concludit, sequenti modo solet formari. In antecessum stabiliuntur haecce asserta,

A. Ex impossibili eorum aggregatione quae impossibilia et nonrealia sunt, emergere non potest aliquid realitatem extraidealem habens atque existentiam; id quod per se patet. Hinc, si vel ea, quae ceu corporum constitutiva assumi unquam possunt, singulatim spectata, sunt impossibilia; vel eorum, si realia esse fingerentur, aggregatio est impossibilis: id quod ex aggregatione resultat, corpora nimirum ipsa sunt impossibilia.

B. Alia corporis conſtitutiva aſſumi nequeunt, niſi vel puncta mathematica ſive Zenonica; vel atomi; vel ſtamina in infinitum diviſibilia; vel monades, Leibnizianae ſive Wolffianae dictae. Corpus igitur conſiſtat neceſſe eſt vel ex punctis mathematicis, vel ex atomis, vel ex conſtitutivis in infinitum diviſibilibus, vel ex monadibus.

C. *Punctum mathematicum* eſt impoſſibilitatem notione ſua includens, adeoque nonreale; ſive quorundam definitionem aſſumas, quibus illud eſt τὸ nihil extenſionem habens; ſive aliorum amplectaris, qui illud dicunt ens inextenſum ſed penetrabile, ſic ut in eorum uno multa alia ſimul coexiſtere omniaque ſimul unum numero eundemque locum occupare poſſint. Nonne enim ſubiectum, quod *nihil* eſſe, *extenſionem habens*, *ad conſtituendum corpus aptum*, dicitur, contradictoria includit? num nihil poterit extenſionem habere, num nihil aptum eſt ut combinetur cum pluribus, quorum quodlibet ſingulatim ſpectatum itidem eſt nihil, ut inde fiat corpus? Aut, ſi forſitan poſterior puncti mathematici conceptus arridet: num ens quod eſt *penetrabile* adeoque non excludens extra ſe quodvis aliud extra ſe exiſtens, ſed admittens ſui ingreſſum cuilibet enti ad proximam coexiſtentiam et contactum redacto, *ad conſtituendum corpus aptum* i. e. impenetrabile eſſe poteſt? Ens enim ad conſtituendum corpus aptum impenetrabile ſit oportet. Quodſi enim non eſt impenetrabile: admittit ut ſe alia entia ad contactum vel proximam coexiſtentiam redacta ingrediantur; adeoque quia non excludit reliqua, nec reliqua ſe invicem excludunt, extenſum (ideſt, aggregatum conſtitutivorum quorum unum extra alterum exiſtit quaeque ſe invicem excludunt) ſimul cum reliquis conſtituere nequit. *Atomus* (Epicuri, ut quidam loquuntur) contradictoria itidem notione ſui involvit. Eſt enim, pro definitione ſua, minimum *corpuſculum*, ens extenſum certam habens figuram et magnitudinem, ſed *indiviſibile*. Nonne corpuſculum vel minimum eſt reſolubile in partes? nonne igitur ens quod eſt diviſibile et tamen eſt indiviſibile, contradictoria ponit? *Pars in infinitum diviſibilis* a nemine prius ceu poſſibile et reale ens aſſumi poteſt, quam diviſibilitatem compoſiti in infinitum demonſtraverit. Id quia hucusque nondum eſt praeſtitum

ſtitum; eiusmodi conſtitutivum, ſi non prō impoſſibili, pro poſſibili tamen et ente reali etiam, non poteſt deciſive declarari. *Monades* demum, quacunque veniant explicatione, ſunt impoſſibilia et nonrealia. Monades Leibnizianae (id eſt, iis praeditae affectionibus quas ipſis Leibnizius attribuit) ſunt ſubſtantiae ſimplices vim repraeſentativam, vim appetendi et averſandi et conatum ad maiores perfectiones habentes, eaeque ad conſtituendum corpus aptae, quia earum quaelibet propria ſua vi cum reliquis coexiſtere poteſt. Ubinam vero realitas eiusmodi entium eſt probata? Nonne manifeſtum, *ens ſimplex* et tamen *ad conſtituendum corpus aptum* contradictionem in adiecto ponere? Nonne enim ens ad conſtituendum corpus aptum, debet eſſe tale, quod cum aliis proxime circumcoexiſtentibus cohaerere, aut (ſi forſitan realem cohaeſionem atque contactum negares) quod a multis aliis propria ſua vi proxime circumcoexiſtentibus circumdatur? ens vero ſimplex nonne tale eſſe debet, quod non admittit aliorum proxime circumcoexiſtentium (cum vel ſine contactu cohaeſioneque) adeſſentiam? (Vide Propoſitionem ſequentem D). Idem dicendum de Monadibus pro explicatione Wolffii ſumtis; quae ſi verba ſpectas, admodum quidem differunt, ſi mentem, nihil a monadibus Leibnizianis. Ubinam earum realitas eſt evicta? Dicis forſitan, in ſyſtemate huius Perilluſtris Philoſophi; idque ex principio Rationis Sufficientis. Sed principii R. S. univerſalitas ubi comprobata? Sane nullibi. Sed ſit probata! Nonne ens ſimplex, ad corpus conſtituendum aptum, eſt contradictio in adiecto, quemadmodum modo oſtenſum? Idem valet quoque de monadibus, in quacunque definitione intellectis.

D. Aggregatio tam punctorum mathematicorum, quam atomorum, partium in infinitum diviſibilium, monadumque, ut inde fiat aggregatum quod dicitur corpus, eſt impoſſibilis. Nam 1) entia, quae impoſſibilia ſunt et notione ſui contradictionem in adiecto includunt aut ſaltem pro poſſibilibus nondum aſſumi poſſunt, niſi diviſibilitas compoſitorum in infinitum demonſtrata antea ſit (vid. prop. praec. C.), num uniri inter ſe invicem; num unione ſua unum compoſitum efficere poſſunt? 2) Aſſumamus per hypotheſin, dicta entia quae ceu conſtitutiva corporis extraideali-

ter existentis haberi possunt, singulatim spectata esse possibilia et realitatem extraidealem habentia. Atque hoc licet supposito, eorum tamen aggregatio compositioque erit impossibilis; quia mediante horum entium contactu atque cohaesione, aut (si contactum realem partium corporis cohaesionemque negares) mediante circumstantia multorum circa unum intimioreque adessentia unius ad alterum perficitur; contactus vero cohaesioque, aut saltem circumcoexistentia proxima eiusmodi entium est impossibilis. Id quod membratim poterit ob oculos poni. Puncta mathematica ut sese contingant, aut saltem proxime sibi invicem circumcoexistant, ut inde fiat corpus, est impossibile. Num unum ens penetrabile, adeoque admittens ingressum alterius in se nec excludens extra se alterum, poterit ad arctissimam unionem cum aliis entibus aeque penetrabilibus, contactum aut (quidquid assumas, perinde est) proximam circumcoexistentiam requirentem redigi; nimirum ad unionem ex qua corpus oritur? Nonne eiusmodi entia ad arctissimam redacta unionem ingredientur unum in alterum, absorbebuntur unum ab altero, coincident unum cum altero; num adeo, quia extra sese existentia non permanent, extensum aliquod partes extra partes requirens constituere possunt? Atomi quoque sese contingere et cohaerere, aut si mavis, proxime sibi adstare et circumcoexistere nequeunt, sic ut inde fiat corpus. Miraris forsitan; num impossibile est, ut entia extensionem figuram magnitudinem habentia aggregentur? quaerens. Respondetur; secundum propria tua principia esse impossibile. Nam atomi sunt substantiae compositae; adeoque ex partibus constantes; atque id quidem, vel ex partibus semper iterum et in infinitum divisibilibus, vel ex partibus demum et ultimato indivisibilibus i.e. simplicibus; tertium non datur. Hinc, si atomi ABCD se partibus suis extremis contingunt sive proxime sibi coexistentes fiunt; aut potius, si partes extremae atomi A contingunt (vel saltem proxime coexistentes fiunt ad) partes extremas atomi B: tunc vel partes in infinitum divisibiles unius, ad contactum vel saltem proximam coexistentiam veniant cum partibus in infinitum divisibilibus alterius; vel entia simplicia unius cum entibus simplicibus

bus alterius, neceſſe eſt (tertium non datur, ſi atomos eſſe vel entia in infinitum diviſibilia vel ſimplicia ſumitur). Utrumque vero eſſe impoſſibile, ſtatim ex duobus membris ſequentibus patet. Stamina ſemper iterumque et in infinitum diviſibilia ad contactum vel proximam circumcoexiſtentiam venire impoſſibile eſt. Ponamus enim ſtamen in infinitum diviſibile A ad contactum aut proximam coexiſtentiam eſſe adigendum cum ſtamine in infinitum diviſibili B. Ergo ſtaminis A ſtamina partialia in infinitum diviſibilia, coniungenda ſunt cum ſtaminis B ſtaminibus partialibus in infinitum diviſibilibus. Id quod nunquam fieri poteſt. Numquam enim adſunt partes primae, quas coniungens ſumere et combinare poſſet. Absque vero ut cum primis quibusdam partibus initium coniunctionis fiat, coniunctio eſt impoſſibilis. Monades demum, quacumque etiam veniunt explicatione, componi nequeunt. Sunt enim ex omnium conceſſione ſubſtantiae ſimplices. Subſtantia vero quae admittit contactum, aut ſaltem proximam circumcoexiſtentiam aliarum, ſit compoſita oportet. Nonne enim ſubſtantia, quae admittit ut aliae vel cum vel absque contactu et cohaeſione circumcoexiſtant, habere debet aliquam peripheriam? (Ponamus ens ſimplex A circumdari a proxime circumcoexiſtentibus B C D. Ergo, punctum (ut ita loquar) ubi illi A adexiſtit unum B, non eſt punctum, ubi adexiſtit alterum C, alterum D. Ergo ens ſimplex A ſaltem quatuor puncta contactus habeat, atque hinc peripheriam). Nonne igitur habet ſua latera? nonne igitur eſt extenſa? nonne igitur eſt non ſimplex? En igitur, quae ex aggregatione ſimplicium oritur, contradictio!

Atque hisce in anteceſſum ſtabilitis ſequens nunc formatur argumentum

E. Si tam ea, quae unquam ceu ſtamina corporum aſſumi poſſunt, ſeorſim ſpectata ſunt impoſſibilia et non realia; tam eorum omnium, ſi etiam ſeorſim ſpectata realia entia eſſe aſſumeretur, aggregatio tamen ut inde fiat corpus eſt impoſſibilis; ſequitur ut corpora ipſa ſint impoſſibilia, (per prop. A).

F. Verum eſt prius, (per prop. B. C. D.)

Hinc

G. Hinc verum eſt poſterius. Corpora igitur extraidealia ſunt impoſſibilia.

Ex hisce quibus corporum impoſſibilitas defenditur argumentis, apparent ſequentia.

I. Idealiſta, ſi corpora negans, entium ſimplicium poſſibilitatem negat, reiicit tantum eiusmodi entia ſimplicia ex quibus corpora componi poſſunt, id eſt, quae contactum cohaeſionemque, aut ſaltem proximam circumcoexiſtentiam aliorum admittunt, ut inde fiat aggregatum, quod corpus extraidealiter exiſtens dicitur. Poſſibilia eſſe entia ſimplicia; poſſibilia eſſe entia ſimplicia quoad perfectionum gradus inter ſe differentia, Deo et Anima Humana imperfectiora: Idealiſta, ſi nondum eſt Egoiſta, ſimul cum hypotheſi Idealiſtica concedere poteſt et concedit. Hinc ſi quis contra Idealiſtam entium ſimplicium impoſſibilitatem aſſerentem diſputat eumque exploſurus eſt; et evincit quidem entium ſimplicium, non vero eiusmodi entium ſimplicium poſſibilitatem, quae contactum cohaeſionemque, vel ſaltem proximam circumcoexiſtentiam aliorum admittunt et ſtamina corporum eſſe queunt: non demonſtravit poſſibilitatem entium ſimplicium eiusmodi, qualia Idealiſta negat; adeoque ignorationem elenchi committens, eumdem non refutavit.

II. Idealiſta praecipue negat aggregationem entium, quae unquam ceu ſtamina corporum aſſumi poſſunt, et omnium maxime quoque aggregationem entium ſimplicium, quia exinde contactus, ſive ſaltem proxima circumcoexiſtentia ſequitur; id quod ex eius mente eſſet abſurdiſſimum. Hinc qui Idealiſtam explodere intendit, impoſſibilitatem aggregationis entium ſimplicium, ut inde fiat corpus negantem: intempeſtive admodum riſit, ſi hancce aggregationem absque omni prorſus probatione tamquam poſſibilem ſupponit et contra adverſarium adfirmat.

§. 13.

Quo modo *corpora* ſi extraidealiter exiſterent, *fruſtra exiſtere* commonſtretur, nunc venit excutiendum! Quid verius, ait Idealiſta, quam hae poſitiones?

A. Deus nil facit fruſtra. Quodcumque igitur aſſertum Deum aliquid fruſtra feciſſe infert, eſt reiiciendum. Adeoque affirmata corporum extraidealis exiſtentia, ſi involveret, ut corpora fruſtra, id eſt, absque ut conducant ad finem aliquem obtinendum adeſſent: eſſet neganda.

B. Finem corporum extraidealiter exiſtentium eſſe, ut animae hominum aliique ſpiritus finiti cogitationes accipiant de mundo corporeo, ad-

admirabili eius ordine perfectione et pulchritudine, dequé operibus Dei mirandis; ſive, ut alii loquuntur, eſſe manifeſtationem gloriae divinae, id eſt, ſummarum perfectionum ſapientiae bonitatis potentiaeque Dei, a NonIdealiſtis conceditur (a).

C. Hicce finis non ſolum obtineri poteſt ſed et actu obtinetur, absque ut adſumi debeant corpora extraidealiter exiſtentia. Nam, aut Deus (id quod a quibusdam affirmatur §.4.) immediate imprimit excitatque omnes omnino cogitationes, quas anima de corporibus ex quibus mundus materialis conſtat ſentiendo habet; ſic ut, licet nulla adſint corpora realiter & extraidealiter exiſtentia, anima tamen omnes omnino ideas de mundo materiali habitura eſſet. Aut, Anima ipſa (id quod ab aliis aſſeritur §. 4.) vi propria et per eſſentiam producit in ſe ipſa omnes omnino de mundo materiali cogitationes in continua ſerie; adeoque in anima exiſtit idea totius univerſi ſeu mundi adſpectabilis, et ſtatus eiusdem iidem in eadem ſerie ſibi invicem ſuccedunt; ſic ut ſi hominis corpus et reliqua ex quibus mundus adſpectabilis conſtat extraidealiter non exiſterent, anima tamen omnes quas nunc habet et in eadem ſerie haberet de mundo adſpectabili repraeſentationes (b).

D. Adeoque poſita corporum extraideali exiſtentia ponitur, quod corpora eiusmodi exiſtant, absque ut ſint medium ad finem, cuius medium eſſe adſumuntur; hinc, quod fruſtra exiſtant,

Quid igitur verius, addit, quam ſi ſequens argumentum ſuppoſitis iis quae praemiſi, adſtruo;

E. Si adſumta et affirmata corporum exiſtentia extraidealis involvit, ut corpora exiſtant fruſtra et absque uſu in reſpectu ad finem, cuius ſolius obtinendi gratia adeſſe adſumuntur; exiſtentia corporum extraidealis eſt neganda (per prop. A.)

F. Verum eſt prius (per prop. D.)

G. Verum igitur eſt, quod corpora non extraidealiter exiſtant.

Notanda adhuc nobis erunt quaedam, quae ex hocce Idealiſtarum argumento ſequuntur.

I. Propoſitionem C veram eſſe; nimirum, verum eſſe quod cogitationes quas anima habet de mundo aſpectabili, perfectione eius admiranda atque pulcritudine, quaeque ad manifeſtationem gloriae divinae conducunt, eidem inexiſtant, licet corpus noſtrum organicum et totus mun-

dus

dus adſpectabilis non realiter et extraidealiter exiſteret, *ea ex ratione* affirmat Idealiſta, quia aſſumendum, vel quod Deus haſce cogitationes in anima producat immediate; vel quod Anima ví propria excitet easdem in ſe ipſa; (quod ſi non aſſumeret: prius affirmare non poſſet). Poſita vero ratione ſufficiente, ponitur id quod per eam eſt potius quam non eſt (Perill. Wolff. Ont. §. 118. 298.). Hinc *qui unam harum hypotheſium aſſumit*, vel quod Deus vel quod Anima vi propria cogitationes de mundo aſpectabili, producat: affirmare etiam tenetur propoſitionem C; id eſt, affirmare tenetur, quod finis ad quem obtinendum corpora extraidealiter exiſtentia eſſe medium adſumitur, nimirum excitatio cogitationum de mundo adſpectabili, eius incomparabili perfectione et pulcritudine, et manifeſtatio gloriae divinae in animabus hominum, poſſit obtineri et actu obtineatur absque ut corpus hominis organicum et reliquus mundus corporeus extraidealiter exiſtens adſumatur neceſſe ſit. *Affirmare* hinc ulterius *tenetur*, *quod corpora* (corpus ſcilicet cuilibet animae humanae proprium, reliquaque ex quibus mundus adſpectabilis conſtat) prorſus non ſint medium ad excitandas in hominum animabus cogitationes de Univerſi adſpectabilis exiſtentia et admirabili perfectione, Summum aliquod Numen Creatorem Directorem et Monarcham, ſummis perfectionibus, intellectu, perfectiſſimo, perfectiſſima voluntate et potentia praeditum teſtante; adeoque *prorſus non ſint medium ad manifeſtandam hominibus gloriam Dei*, aliisque entibus rationalibus (c). Nam ad finem, qui prorſus ſine concurſu efficiente corporis humani et reliqui mundi adſpectabilis, ſi extraidealiter exiſtere adſumuntur, obtinetur (ſic ut obtineretur, etiam ſi nullum corpus extraidealiter exiſteret), corpora extra ideas animarum realiter exiſtentia medium actuale eſſe nequeunt.

SCHOL. (a) Recte ſe habet, quando Idealiſta NonIdealiſtarum quemlibet concedere aſſerit, quod finis mundi corporei ſit manifeſtatio gloriae Dei. Nemo non cum Perill. Wolffio Theol. N. P. I. §. 608. affirmabit, quod *finis cur Deus hunc mundum* (ad mundum vero eo, quo h. l. ſumitur ſignificatu, etiam pertinet mundus corporeus) *produxerit, ſit patefactio ſui ipſius ſeu perfectionis ſuae abſolute ſummae.* §. 109. Demonſtr. *ut per ea quae facta ſunt, inviſibilia Dei, veluti ſempiterna eius virtus et divinitas intelligantur*; § 611. ſive, *ſit manifeſtatio gloriae ſuae.*

SCHOL. (b) Idealiſtam ſtatuere dixi, quod anima hominis omnes cogitationes ſuas de mundo aſpectabili habeat, ſive corpora ex quibus mundus aſpectabilis conſtat extraidealiter exiſtant ſive non; quod adeo corpora extraidealiter exiſtere aſſumta prorſus non ſint medium ad huncce finem obtinendum conveniens. Ut ne vero quis me Idealiſtis falſa affingere putet et ab eorum mente aliena: ad auctoritatem Perill. Wolffii provocare liceat, Metaphyſ. Germ. §. 777. *Quum igitur*, dicentis, *corpus nil prorſus conferat* (adeoque prorſus non ſit medium) *ad perceptiones animae*:

omnes

omnes perceptiones in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi mundus aspectabilis non existeret. Id quod iam cognovit Cartesius, et dudum ante eum Idealistae„ Conf Psych. Rat. Lat §.614

SCHOL (c) Haecce propositio, (quod scilicet, qui unam dictarum hypothesium assumit, etiam corpora ex quibus mundus aspectabilis constat prorsus non esse medium, ad manifestandam hominibus gloriam Dei, affirmare teneatur) ut luculentius excutiatur scopus requirit. *Adsumatur e. g. hypothesis* quod Anima vipropria cogitationes quas de mundo aspectabili habet, producat; absque ut corpus organicum reliquaque, ad excitandas hasce ideas effective concurrendo aliquid conferant, sic ut si prorsus non extraidealiter existerent, hae tamen ideae omnes ab anima in semetipsa producerentur; sive (ut aliis verbis utar) assumatur, *quod mundus aspectabilis idealiter iam existeret in animabus, etiamsi Deus non produxerit corpora ex quibus mundus aspectabilis constat.* Atque nunc corpora prorsus non esse medium ad gloriam Dei hominibus manifestandam affirmo! Dictis fidem facio sequenti modo;

1. *Medium est, quidquid rationem continet, cur finis actum consequatur* (Perill. Wolff. Ont. Lat. §. 937.). Ergo, quidquid est medium (actuale nimirum, nam medium possibile nondum est medium, licet tale demum esse non repugnet) ad finem aliquem obtinendum, tale esse debet, sine quo adhibito finis actu non obtinetur. Ergo, si assumtum aliquod est tale, ut sine eo et per aliud finis actu obtineatur: prorsus non est medium actuale ad hunc finem; multo minus, si per illud finis prorsus non potest obtineri, dici potest medium aptum et certissimum.

2. *Manifestatio gloriae divinae respectu hominum consistit in actu, quo excitatur cognitio de Deo et summis eius perfectionibus*, perfectissimo eius intellectu, perfectissima voluntate atque potentia (Wolff. Theol. Nat. P. I. §. 610. 611. in Demonstr. 624. in Demonstr.). Ergo, si quid est tale sine quo excitatur in hominibus dicta de Deo cognitio, sic ut prorsus abesse queat et nihilo tamen minus haecce cognitio excitetur; quin si est tale, ut per illud excitari nequeat: id prorsus non est medium ad manifestandam hominibus gloriam Dei; multo minus est medium aptum atque certissimum.

3. *Cognitio de Deo summisque eius perfectionibus excitatur in hominibus per ideam seu cognitionem de perfectione pulcritudine ordineque admirabili Universi adspectabilis.* (Wolff. l. c. § 608. in Dem. § 609. in Dem.). Ergo si quid est tale, sine quo excitatur in hominibus idea de perfectione universi adspectabilis admiranda: id est tale sine quo excitatur cognitio de Deo summisque eius perfectionibus; adeoque prorsus non est medium ad manifestandam hominibus gloriam Dei; multo minus medium aptum.

4. Jam corpora, nimirum corpus cuique homini proprium reliquaque ex quibus mundus aspectabilis constat, extraidealiter existere assumta, sunt tale sine quo excitatur in hominibus cognitio de admiranda uni-

 versi

verſi adſpectabilis perfectione; quin, per quod prorſus non poteſt eiusmodi idea in animabus excitari. Nam *vi hypotheſeos*, (Conf. Perill. Philoſophi Pſych. Rat. §. 192. in Demonſtr.) exiſtit in anima idea totius univerſi ſeu mundi aſpectabilis, et ſtatus eiusdem conſtanter iidem in eadem ſibi invicem ſuccedunt, qui in mundo aſpectabili ſibi invicem ſuccedunt; eaque producitur ab anima vi propria, minime vero per corpus organicum et, mediante hoc, per alia corpora ex quibus mundus aſpectabilis conſtat; ſic ut ſi omnia haec corpora extraidealiter non exiſterent, haec tamen idea animae inexiſteret; quin corpus ut in animam agat et hancce ideam producat, eſt impoſſibile.

5. Corpora igitur ex quibus mundus aſpectabilis conſtat, extraidealiter exiſtere aſſumta, non ſolum prorſus non ſunt medium ad manifeſtandum hominibus gloriam Dei, multo minus medium aptum et certiſſimum; ſed nec medium ad hunce finem obtinendum conducens eſſe poſſunt. *Q* E, D.

6. Dictis hiſce ſubiungo. Si quis aſſumit dictam hypotheſin, quod *mundus idealiter exiſtat in animabus*, praetereaque tres propoſitiones num. praec. 1. 2. 3. ſtabilitas; atque ſimul affirmat, *corpora ex quibus mundus adſpectabilis conſtat extra animas produxiſſe Deum*, *manifeſtandae gloriae ſuae cauſa*; ille vi prioris aſſerti defendit, quod *corpora extraidealiter exiſtentia* non ſolum *prorſus non ſint ſed nec eſſe poſſint medium* ad manifeſtandam hominibus gloriam Dei; et vi poſterioris, quod *corpora extraidealiter exiſtentia* non ſolum *ſint* ſed *et neceſſarium ſint medium* ad manifeſtandam hominibus gloriam Dei. Conf. Perill. Philoſophi Th. N. P. II. §. 644. Ont. §. 40.

§. 14.

Neque per fidem nos animadvertere mundum factum eſſe extraidealiter exiſtentem, adeoque *teſtimonium Scripturae Sacrae non exhibere corpora extraidealia affirmandi rationes*, ideo defendit Idealiſta, tam quia ſcriptura de corporibus interdum diſſerens ſeſe ad captum vulgi accommodat, tam quia eius de corporibus aſſerta non determinate affirmant corpora exiſtere extraidealiter, ſed tantum corpora exiſtere dicunt; id quod vero duplicem admittere poteſt explicationem. Eorum alius haſce praemittit propoſitiones,

A. Scriptura ſacra in aſſertis quae non ad monſtrandum homini media ſalutis pertinent, ſeſe accommodat ad captum vulgi, id eſt, loquitur de rebus quibusdam pro conceptu quem homines communiter ſibi de iis formare ſunt aſſueti. e. g. Scriptura Solem circa terram rotari dicit, quia homines ſolem ſibi repraeſentant currentem, et indifferens eſt ad ſalutem aeternam conſe-

qnendam

quendam, utrum homines ſolem currere an circa eum terram volutari crederent.

B. Aſſertum, quod corpora exiſtant extraidealiter eſt tale, cuius veritas cognita aut ignota ad ſalutem aeternam ſcitu neceſſaria nemini eſt. Sive quis enim ignoret ſive non, corpora extra animarum ideas realitatem habere; et licet non habere per errorem aſſumeret: aeque tamen minus ob ignorantiam et errorem ſuum coelo excluditur ac homines pii per millia annorum viventes, qui ſolem crediderunt curſorem.

Atque exinde nunc ulterius argumentum format,

C. Si ſcriptura ſacra corporum exiſtentiam hinc inde aſſerens, loquitur ad captum vulgi, adeoque de corporibus ac ſi eſſent extraidealia entia differit ideo, quia homines corpora ſibi repraeſentant ut entià extraidealia: ſequitur ut ab aſſerta in ſcriptura corporum exiſtentia, ad eorum exiſtentiam extraidealem N. V. C. (per prop. B.)

D, Verum eſt prius (per prop. A). Adeoque et verum eſt poſterius.

Alius autem paululum mutato curſu ad eamdem tendit metam; ſequenti modo argumentum ſuum propinans,

Si ſcripturae Sacrae, quando de corporibus loquitur exiſtentibus, verba duplicem admittunt explicationem; ſic ut per corpora intelligi queant tam idealiter quam extraideater exiſtentia; et nullibi diſtincte declaretur decidaturque, utrum corpora ſint extraidealiter an idealiter tantum exiſtentia: ſequitur ut ab aſſerta corporum exiſtentia ad aſſertam exiſtentiam extraidealem N. V. C.

Verum eſt prius, Ergo verum eſt poſterius.

§. 15.

Ponderoſiores hae ſunt, quibus palmariam propoſitionem (§. 2.) firmat Idealiſta, argumentationes. Reliquas enim, quae ex utilitate hancce Hypotheſin concomitante, ex difficultatibus corporum extraidealem exiſtentiam prementibus, aut ex principiis mathematicorum deſumuntur, omitto; idque tam, quia brevitatis ſtudium poſtulat, atque limites huius ſcriptionis ulterius evagari prohibent; quam potius, quia non ſunt maioris, ſed ex mea ſententia admodum minoris momenti

menti, quod, ſi neceſſe erit, evincere non potero non. Iisdem commotus rationibus demonſtrationem, qua propoſitio (§. 5.) fulcitur, fuſius explanare ſupervacaneum arbitror, Eum enim, qui ſe qua ſpiritum exiſtere; corpus vero organicum ſuum non exiſtere extraidealiter defendit: ſe exiſtere tantum qua ſpiritum, affirmare teneri, primo intuitu conceditur. Subiungere tantum quaedam, quae vi antea dictorum ſtabiliri poſſunt, operae erit pretium.

I. Argumenta hactenus (§. 10-14.) ſunt fundamentum Idealiſmi; reliqua enim, quorum modo mentionem feci, ex principiis mathematicorum, ex utilitate etc. deſumta, non ſunt firmiora. Id quod hoc loco aſſumo, adeoque ſub hacce tantum hypotheſi, quod argumenta a me non adducta adductis non ſint firmiora, haec eſſe fundamentum Idealiſmi affirmo). Quod ſi igitur hactenus (§. 10-14.) adducta argumenta ruant: Idealiſmum fundamento deſtitutum eſſe, aſſerere potis ſum.

II. Omnis Idealiſta, ex quocumque etiam argumento corporum realitatem extraidealem reiiciat, fallaciam tamen ſenſuum tuto non niſi generalem adſumi poſſe affirmet neceſſe eſt (a). Neget enim fallaciam generalem! Atque tunc, quod ſenſus corpora repraeſentent, quae et qualia extra mentem realiter exiſtunt, vel in dubio relinquit, vel affirmat, ſaltem in particuliari. Si prius: Idealiſta eſſe et manere nequit. Qui enim, utrum ſenſus corpora repraeſentantes generaliter decipiant an non, utrum igitur corpora repraeſentata extra mentem realiter exiſtant an non, in dubio et ſuſpenſo relinquit, Idealiſta eſſe nequit; quia hicce deciſive negat extraidealem corporum realitatem (§. 2.I.). Si poſterius: itidem eſſe nequit Idealiſta. Qui enim ſenſus ſaltem in particularibus caſibus repraeſentare corpora, quae et qualia extra mentem realiter adſunt, concedit; corporum realitatem extraidealem negare nequit. *Aut igitur ſenſus, ſive facultatem ſentiendi ad actum quando ducitur, generaliter fallere adſumat; aut Idealiſmum deſerat, et ad Nonidealiſtarum tranſeat partes, Idealiſta!*

SCHOL. (a) Vide infra §um 31. ſchol. (a).

§. 16.

Pluraliſta hypotheſin ſuam (§. 8.) defendit argumentis ab analogia petitis, quae vero ab alio ſic, ab alio aliter paululum formari ſolent. Quidam enim eum in modum concludunt: Praeter eas quas egomet appercipio, ſubſtantias materiales et ſenſibiles dantur plures adhuc aliae ſubſtantiae ab aliis perceptibiles; Ergo, Praeter me illas appercipientem plures alii dantur, haſce qui appercipiunt, ſpiritus finiti. Nonnulli autem inferunt: Praeter meum corpus idealiter exiſtens exiſtunt plura alia corpora organica humana; meo corpori idea-

liter

liter existenti arctissime adiunctus est spiritus finitus; Ergo reliquis corporibus humanis idealiter existentibus arctissime etiam alligati sunt alii spiritus finiti. Fusius haecce explanare operae erit pretium. Priores praemittunt sequentia,

A. Substantiae materiales non sunt nisi entis cuiusdam cogitantis ideae et repraesentationes (Hocce qua Idealistae supponunt; quod notari meretur.). Adeoque si dantur praeter eas, quae a me appercipiuntur, subsstantiae materiales quae non a me appercipiuntur: dantur etiam praeter eas, quae meae sunt mihique inexistentes ideae, aliae quae non sunt meae mihique inexistentes (a)

B. Ideae non possunt existere extra ens cogitans, sed tantum intra mentem cogitantis. Adeoque, si praeter eas, quae meae sunt mihique inexistentes, dantur ideae aliae (b): hae ideae intra mentem aliorum entium cogitantium existant; atque hinc praeter me entia alia cogitantia, quorum mentibus insint, existant necesse est.

C. Hinc si dantur, praeter eas quae a me appercipiuntur, substantiae materiales quae non a me appercipiuntur: praeter me, illas appercipientem, etiam alia entia cogitantia, hasce appercipientia existant necesse est. (c)

D. Praeter subsstantias materiales et corpora mundi visibilis constitutiva quae a me appercipiuntur, dantur innumerae adhuc aliae, a me non apperceptae (d). Id quod per experientiam patet. Si e. g. vespere oculorum aciem coelum serenum versus dirigo: myriades stellarum oculo nudo et intento detegere possum, quarum nullam antea interdiu percepi. Easdem olympi plagas si oculo armato intueor, denuo myriadum myriades se mihi sistunt, quas oculus nudus non adesse putabat. Si telescopia prioribus acutiora adhibeo, iterum repraesentantur antea non animadversae. Concludo inde quod dentur plures adhuc aliae, omnem numerum excedentes, quas nunc deficientibus adhuc fidelioribus telescopiis prorsus non appercipere valeo.

nectuntque inde hocce argumentum in formam redactum;

E. Si praeter subsstantias materiales quae visu auditu etc. a me appercipiuntur, innumerae plures aliae dantur, quae non a me ap-

 perci-

percipiuntur : ſequitur ut praeter me illas appercipientem exiſtant alii cogitantes, haſce appercipientes (per prop. C.)

F. Verum eſt prius (per prop D).

G. Ergo verum, quod dentur praeter me alia entia cogitantia. Quae quod ſint entia cogitantia finita, adeoque ſpiritus finiti, probabile ſaltem eſt.

Poſteriores autem eum in modum meditationes ſuas evolvere intendunt. Supponentes,

H. Ego ſpiritus finitus exiſto, arctiſſimo nexu coniunctus cum corpore quodam organico, apparenter licet et idealiter exiſtente; id quod experientia me docet. Ab exiſtentia igitur corporis mei humani, idealiter licet exiſtentis, ad exiſtentiam tamen ſpiritus cuiusdam finiti cum eo arctiſſime connexi, ſcilicet mei ipſius, certiſſime concludere poſſum.

I. Exiſtunt praeter meum adhuc multa alia corpora humana, exactiſſimam cum meo ſimilitudinem habentia, aptiſſimaque aeque ac meum, ut ſint domicilia ad hoſpitem ſpiritum finitum recipiendum.

K. Quidquid de corpore meo valet, valet de reliquis etiam corporibus humanis; quia meo ſunt ſimilia.

ſequens nunc formant ratiocinium,

L. Si praeter meum corpus organicum (apparens) exiſtunt alia corpora humana (apparentia), praeter ſpiritum meum, etiam exiſtunt alii ſpiritus mihi ſimiles (per propoſ. H, K).

M. Verum eſt prius (per propoſ. I.)

N. Ergo, exiſtunt extra me alii ſpiritus finiti, qui hominum nomine veniunt.

Duplex haecce Idealiſtarum argumentatio ſequentia adhuc notare anſam ſuppeditat.

I. Pluraliſta concedere tenetur, ſi rationes pro veritate concluſionis ſuae allegatae ruant, fundamento deſtitutum eſſe Pluraliſmum, ſeque coactum, ſi ab Idealiſmo ſeſe abdicare nolit, ad Egoiſtarum caſtra tranſire (§. 7. I.)

II. Concluſionem ſuam, *Praeter et extra me alii ſpiritus finiti realiter exiſtunt*, ex duplici hac ratione affirmare Pluraliſtam patet; prima, *quia praeter eas ſubſtantias materiales quae a me appercipiuntur*, (id eſt, ſi verba

haecce

haecce ſecundum eius mentem interpreteris, quia praeter ideas ſubſtantiarum materialium ſenſibiliumque, quae ſunt meae ideae mihique inexiſtunt) *dantur plures aliae ſubſtantiae materiales quae non a me appercipiuntur* (i. e. dantur plures aliarum ſubſtantiarum materialium ideae quae non ſunt meae ideae mihique inexiſtentes), *ſed quae appercipiuntur ab aliis entibus cogitantibus mihi ſimilibus* (i. e. quae ſunt ideae aliis ſpiritibus finitis inexiſtentes); ſecunda, *quia quidquid de corpore organico meo valet*, ſcilicet quod cum eo coniunctus ſit ſpiritus finitus, *etiam valere debet de aliis corporibus humanis idealibus*, ſcilicet quod cum ſingulis coniuncti ſunt ſinguli ſpiritus mihi ſimiles. Ruente igitur duplici hac ratione ruat neceſſe eſt Pluraliſmi fundamentum.

III. Vides exinde, quod Pluraliſta ſpiritus alios finitos praeter ſe exiſtere minime affirmet ea ex ratione, *quia ſibi ſpiritus a ſe diverſos repraeſentat ut extra ſe*, adeoque hypotheſin ſuam non huic innitatur argumento,

Quidquid mihi repraeſento ut extra me, exiſtit extra me,
Repraeſento mihi ut extra me ſpiritus a me diverſos,
Exiſtunt igitur ſpiritus a me diverſi extra me.

Eo enim ipſo, quo maiorem adſumeret, deſtrueret nonrealitatem corporum, quam tamen qua Idealiſta defendit. Nonne enim, qui id quod ſibi repraeſentat ut extra ſe, exiſtere quoque extra ſe aſſumeret; et ſe ſibi corpora repraeſentare ut extra ſe, non negat; corpora etiam extra ſe exiſtere aſſumere teneretur? Hinc, ſi quidam Philoſophi contra Idealiſtas ex conceſſis diſputari ſupponunt, quod hi concedant propoſitionem, *Quidquid mihi repraeſento ut extra me, id exiſtit etiam extra me*, atque ſuppoſito huic aſſerto totam ſuam innituntur refutationem: ſupponunt aliquid quod nemo minus concedit quam Idealiſta; quodque tantum abeſt ut ex ullo Idealiſtarum ſcripto comprobare valeant, ut potius diſertis Idealiſtarum verbis refellatur. e. g. Collier (Vid. Acta Erudit. Lipſ. Supplem. Tom. VI. p. 244.) *Apparens externitas*, inquit, *viſibilis obiecti non eſt argumentum verae externitatis. Dantur obiecta, quae utut appareant externa, tamen revera non ſint; et haec quidem ſunt vel poſſibilia vel actualia. Ad illa pertinent chimerae e. g. centaurus, qui imaginationi licet externus videatur, tamen non niſi a mente dependet. His accenſendus eſt ſonus, odor, tactus, color, dolor, voluptas, quae extra animas non exiſtunt*„.

IV. Pluraliſta, quia eſt Idealiſta, concedit quod ſi quis aſſumtum aliquod affirmandi non habeat rationem ex teſtimonio aut ſenſuum aut rationis aut revelationis deſumtam: illud affirmandi nullam prorſus habeat rationem (§. 10. I.)

SCHOL. (a) Propoſitio haec duplicem admittere ſenſum notari meretur; Primo eum „Si praeter eas, quae *hactenus* a me apperceptae ſunt, dantur ſubſtantiae materiales, *hactenus*, a me *nondum* perceptae, *ſed quae adhuc a me appercipi ſucceſſive poſſunt*: dantur etiam praeter eas, quas

hacte-

hactenus habui et habeo nunc, ideae quae mihi *nondum inexiſtunt ſed quae ſucceſſive adhuc mihi inexiſtentes fieri poſſunt*„. Deinceps eum, „ſi praeter eas, quae *a me* appercipiuntur, dantur ſubſtantiae materiales quae *non a me ſed ab aliis cogitantibns*, appercipiuntur: dantur etiam praeter eas, quae *mihi* inexiſtunt, ideae quae *non mihi ſed aliis* inexiſtunt „.

SCHOL. (b) Quia praecedens propſitio A aequivoca eſt; haec etiam duplicem admittat interpretationem neceſſe eſt. Primo eam „Si praeter eas quae *hactenus* mihi inexſtiterunt et inexiſtunt dantur ideae aliae, quas *hactenus nondum* habui; hae ideae intra mentem aliorum cogitantium, adeoque alia cogitantia, exiſtant neceſſe eſt„. Deinceps eam „Si praeter eas, quae mihi inexiſtentes ſunt, dantur ideae *aliae*, *mihi prorſus non, neque nunc neque in poſterum inexiſtentes*: hae ideae intra mentem aliorum cogitantium exiſtant neceſſe eſt„. Si in prima explicatione a Pluraliſta acciperetur: plane nullam eidem ineſſe conſequentiam primo apparet intuitu.

SCHOL (c) Duae praecedentes propoſitiones A et B quia diverſimode intelligi poſſunt: de hacce valet idem. Poteſt enim primo ſic intelligi „Si dantur praeter eas quae a me appercipiuntur, ſubſtantiae materiales, quae *hactenus nondum a me* apperceptae ſunt; praeter me illas appercipientem, etiam alia entia haſce appercipientia exiſtant neceſſe eſt„. Deinceps poteſt etiam ſic intelligi „Si dantur praeter eas quae a me appercipiuntur, ſubſtantiae materiales, quae *non a me, ſed ab aliis entibus* appercipiuntur: praeter me, illas appercipientem, etiam alia entia haſce appercipientia exiſtant neceſſe eſt„. Quod ſi Pluraliſta eam priori ratione intelligeret. eidem itidem nullam ineſſe conſequentiam ſole clarius patet.

SCHOL. (d) Quod de praecedentibus dictum, valet et de hac propoſitione. Primo ſic poteſt explicari „Praeter ſubſtantias materiales quae *hactenus* a me appercipiuntur et apperceptae ſunt, dantur innumerae adhuc aliae, *a me nondum* perceptae, quas tamen demum appercipere ſucceſſive poſſum„. Deinceps autem „Praeter ſubſtantias materiales quae *a me* appercipiuntur, dantur aliae quae *prorſus non a me, neque nunc neque in poſterum appercipientur* „.

§. 17.

Egoiſta, quia huc usque ſuum quod defendit ſyſtema publici iuris non fecit, qua ratione hypotheſi ſuae (§. 9.) robur conciliet, licet determinate non conſtet; coniectura tamen aſſequi quid vetat? Quia enim eſt Idealiſta, rationes eorum admittere; adeoque egoiſmum principiis Idealiſtarum convenienter defendere, et ad analogiam argumentorum pro Idealiſmo formatorum pro Egoiſmo argumenta formare cenſendus eſt. Hinc ſequenti modo meditationes proponere ſuas poterit. In anteceſſum ſtabiliens,

A. Ego exiſto. Id quod me docet ſenſus internus et ſanae rationis teſtimonium. Ille enim quod mei ipſius mihi ſim conſcius, et haec, quod omne cogitans exiſtat, me docet.

B. A poſteriori et ope experientiae ſenſationumque, praeter me exiſtere alias mentes finitas non cognoſco. Non per ſenſum internum; huius enim ope me ipſum tantummodo cognoſco. Non per ſenſus externos. Nam corpora quidem video humana, quae ſeſe movent variaque expediunt negotia. Haec vero non ſunt niſi merae animi mei ideae. Iis igitur ineſſe mentes eadem animantes non ſentio; quas quippe nec video nec audio nec palpo nec odoror nec ſapio.

C. A priori quoque et ope ratiociniorum, mentes finitas praeter me exiſtentes detegere non licet; quin potius contrarium ſtatuere doceat ratio. Huius enim uſus me erudivit, quod corpora omnia, quae extra idealiter et realiter exiſtere convictio quaedam fallax et, neſcio quae, praeiudicia commendabant, nil ſint niſi merae mentis meae ideae. Ecqua vero ratione poſſibile eſt, ut in mea idea, in domicilio quod non niſi intra mentem meam exiſtit, ſpiritus finitus habitet extra mentem meam exiſtens? Quae in ſtabilimen hypotheſeos ſuae Pluraliſta adducit argumenta, petitionibus principii innixa et nullius ſunt momenti (Vid. infra §. 24).

D. Scriptura Sacra loquitur quidem de ſpiritibus finitis. Verum enim vero (ut ſilentio praetream, quod Scriptura Sacra non ſit ens in rerum natura et extraidealiter exiſtens, ſed tantum phaenomenon, et liber idealiter in meis cogitationibus exiſtens, §. 9. ſch. (a); cuius igitur auctoritas in teſtimonium de veritate aſſerti alicuius allegari nequit) ad captum vulgi ſeſe accommodat, prout ipſe concedere pluraliſta, qua Idealiſta tenetur (§. 14. prop. A). Hinc, dum de corporibus loquens non intelligit corpora extraidealiter exiſtentia, ſed talia quae ſunt merae cogitantis ideae; quidni de ſpiritibus finitis loquens intelligat ſpiritus, qui tantum ſunt merae cogitantis repraeſentationes?

E. Omnium, quae ceu vera aſſumere ſum obligatus, veritas mihi eſt probanda ex teſtimonio vel ſenſuum vel rationis vel ſcriptu-

rae;

rae ; alium namque probationis fontem ignorat et Pluraliſta (§. 10. I.), et Philoſophorum quivis.

facili nunc opere argumentum inſequens ſtabilire poteſt,

F. Si neque ſenſus neque ratio neque fides, praeter et extra me exiſtere alios ſpiritus finitos, comprobant: prorſus non exiſtere tales eſt aſſumendum (per prop. E.).

G. Verum eſt prius, (per Prop. B. C. D.)

H. Spiritus finitos exiſtere praeter me, prorſus non eſt aſſumendum.

Hiſce praemiſſis notandum adhuc ob ſequentia operae erit pretium.

I. Quod Egoiſta hyotheſin ſuam innitatur Idealiſmo; ante enim quam corporum realitatem extraidealem reiicit, Egoiſta fieri nequit (§. 7. I.); quod autem ſuppoſito Idealiſmo peculiarem demum hanc, quam allegavi, ratiocinationem in ſui defenſionem adducat.

II. Concedere hinc tenetur ſi tam Idealiſmus, quam peculiares in defenſionem Egoiſmi allatae rationes ruerent; Egoiſmum eſſe omni deſtitutum fundamento.

§. 18.

Adductis nunc quibus Idealiſtarum hypotheſis innititur argumentis, excutere eadem, atque ſic, quod Idealiſmus ſit fundamento deſtitutus, evincere poſtulat ſcopus. Quod ut eo felicius efficere queam: ſingula conſiderabo ſucceſſive, atque ad eadem reſpondebo; breviter quidem, id quod limites huius ſcriptionis iubent; ſufficienter tamen et quantum ſatis eſt, ut eorum nullum Idealiſmo ſuppeditare fulcrum tutumque fundamentum appareat. Argumentum generale, ea prout §. 10. factum eſt ratione, prolatum rite ſeſe habere concedo; ſi Minor Propoſitio probaretur legitime. Id quod autem ab Idealiſtis non eſſe praeſtitum, nec praeſtari poſſe, ſequentes docebunt §§i. Minore igitur falſa, (quod per ſequentia ſtabilitur), falſa ſit concluſio, ruatque Idealiſmus neceſſe eſt.

§. 19.

Ad *argumentorum prius*, quibus ſenſuum teſtimonium reiicit Idealiſta (§. 11.) reſpondeo. I. *Propoſitio A. eſt vera.* Senſus enim externos particulariter fallere; ſive, particulariter verum eſſe quod ſenſus fallant: negari nequit. *Interim tamen, quod exinde deducitur, non ſequi affirmo.* Quod ut pateat, noretur α) quod ſenſus etiam in particulari non fallant. Ponas e. g. te videre corpus aliquod A, longitu-

gitudinem duodecim pedum, pro tua quam tibi de hocce corpore formas idea, habens. Manda, si placet, mille hominibus singulis, eorum quilibet ut mensuram (pro sua idea) unius pedis longam sibi paret, eamdem applicet ad corpus A, metiatur, et quantae longitudinis esse corpus A sibi repraesentet referat tibi. Omnia perdam nisi eorum quilibet, corporis A longitudinem esse duodecim pedum, sit responsurus. Iam quaeso! quomodo id evenire potuisset, nisi sensus in hocce casu particulari non fallerent; nisi singulorum idea, quam de longitudine unius pedis recepta habet, exactissime conveniret cum tua; nisique cuiuslibet idea, quam de longitudine corporis A totali sibi format, accuratissime cum tua congrueret? Idem valet de coloribus. Quodsi in publicum prodeunti tibi in conspectum veniat homo veste indutus, quae secundum tuam ideam tincta est colore nigro; et quaeras ex mille hominum quolibet, vestis illa cuiusnam sit coloris? quilibet, nigri! erit responsurus. Vides igitur, prout dantur casus, in quibus fallunt sensus, sic in quibus non fallunt dari itidem; vides quod prout Idealista, sic et NonIdealista, ad experientiam indubiam possit provocare. β) Quod in casibus, in quibus decipiunt sensus, deinceps, fraude detecta, ratio secundum regulas optices allegari possit, cur necesse fuerit ut hisce in casibus decipere et obiectum aliter ac in se est, repraesentare debuerint; id quod rationem habere vel in constitutione organi, vel in distantia aut constitutione obiecti sensibilis, vel in constitutione intermedii inter organon et obiectum interstantis, optica docet. γ) quod, si in casu quodam singulari determinari cum certitudine nequeat, utrum fallant sensus an non; (eiusmodi autem dari casus, in quibus ne succurrente quidem ratione determinari potest, utrum id quod sensus nobis repraesentant actu adsit et tale sit, an non, negari nequit): iudicium suspendere sana suadeat ratio (a). II. *Propositio B, illimitate enuntiata, prouti iacet et fundamentum est propositionis sequentis C, totiusque argumenti E. F. G.; est falsa.* Continet enim inductionem incompletam, quae per exempla in contrarium adductu possibilia sive per instantias infringitur; id quod ex applicatione in propositione C facta apparet. Inductionem incompletam, id est, argumentationem qua a particulari ad universale concluditur, tum demum ceu legitimam veramque esse assumendam, si nullum particulare exemplum universa-

litaticontrariatur, ex Logica patet. Hancce igitur argumentationem, quam propoſitio B exhibet (ſic formatam: Particulariter et in his illis iſtis caſibus verum eſt quod ſenſus fallant, Ergo quod fallant eſt univerſaliter verum) rite ſeſe habere tunc et tamdiu eſſet concedendum, ſi et quamdiu nullus contradicens caſus poſſet allegari. Adeoque propoſitio B *ſub addita hac limitatione* (ſi quid ſemel et ſaepius, i. e. particularirer, decepit; et nullus datur caſus particularis, quo non deceperit; ſemper et univerſaliter decipiens eſt habendum, donec probaretur contrarium) *eſſet vera, ſed tunc non eſſet validum fundamentum* atque ſecurum, cui propoſitio C et argumentum E. F. G. ſuperſtrui poteſt. *III. Propoſitio C eſt falſa*, ob rationes modo allatas; exhibet enim inductionem incompletam, quae per quam plurima exempla particularia in contrarium adducta infringitur. Veritati conſentaneum eſſet, quod ſenſus particulariter fallentes, generaliter fallentes adſumi debeant, niſi exempla quod ſenſus particulariter non fallant docentia allegari poſſent. Id quod nunc, quia contraria proferri poſſunt, quae aeque minus ac exempla particularia ab Idealiſtis adducta negare quis valet, falſum eſt. *Atque hinc, quia propoſitio C eſt fundamentum minoris F: tota argumentatio Idealiſtis non ſufficientem ſuppeditat, nonrealitatem corporum extraidealem deciſive affirmandi rationem.* Idem valere de *altero* argumento(L.M.N.) dicendum. *I. Propoſitio H, eſt falſa*; nec ab ipſo Idealiſta aſſumi vera poteſt. Quod ſi enim affirmat, corpus repraeſentatum eſſe ipſas qualitates quas ſibi repraeſentat, non vero ſubiectum aliquod ſive fulcrum ſive ſubſtantiale (aut qua demum voce uti velis), cui qualitates ſenſibiles inhaerent; affirmare eodem iure tenetur, quod qualitates, quas ſenſu interno de anima cognoſcit ſua, id eſt, ipſae cogitationes aliaeque affectiones, ſint anima ipſa; non vero aliquid quod ab anima diſtinctum eſt, ut affectio a ſubiecto cui inexiſtit. *Falſa igitur eſt Propoſitio I. Adeoque falſa eſt Maior Propoſitio poſterioris argumenti, ſcilicet Propoſitio L.* Diceres forſitan, quod propoſitio H, ſi eo modo enuntiaretur „Corpus, quatenus ſenſibus nobis repraeſentamus, non eſt niſi ipſae quas appercipimus qualitates" ſit vera dicenda. Reſpondeo; quod non. Senſus enim non repraeſentare niſi corporum qualitates verum eſt; ſed non docent, utrum qualitates hae ſint ipſum ſubiectum er ipſum corpus, an ſint affectiones ſubiecto inhaerentes

et a ſubſtantiali quodam diſtinctum. Hoc prorſus non decidunt ſed rationi decidendum relinquunt. Adeoque Idealiſta affirmare nequit, quod corpus, prout a ſenſibus repraeſentatur, non ſint niſi qualitates; non ſint ſubiectum cui qualitates inhaerent. Interim etiamſi concederetur, Propoſitionem H eſſe veram; veram igitur eſſe propoſitionem I; adeoque et veram eſſe propoſitionem L: nihil tamen exinde praeſidii lucraretur Idealiſta, nihilque id ad ſtabiliendam corporum nonrealitatem conduceret. Nam. II. *Propoſitio K. eſt falſa*, falſum ſcilicet, quod qualitates ſenſibiles non ſint niſi merae cogitantis ideae, non autem affectiones rei in ſe et nemine cogitante competentes. Idque falſum eſt 1) reſpective, quia probatio Idealiſtarum eſt nullius momenti. Propoſitio *α*. namque, tamquam Maior argumenti, quo Propoſitio dicta K ab Idealiſtis firmatur, conſequentiam non continet. Non-Idealiſtae enim, quod affectiones corporum ſenſibus repraeſentatae ſint aliquid realitatem habens extra mentem cogitantis; et quod poſita affectionis repraeſentatae idea in mente cogitantis formata, ponenda ſit extra mentem affectio ei reſpondens et rei inexiſtens, affirmant tantum *ſub hac conditione*, *ſi* organum cogitantis rite ſeſe habeat, ut affectionis imago eidem imprimi poſſit, *ſi* affectio ſenſibilis (ſive, obiectum ſenſibile, affectionem dictam ſibi inexiſtentem habens) in debita diſtantia adſit repraeſentanti, et *ſi* intermedium inter organon repraeſentantis et affectionem ſenſibilem (ſive potius, obiectum cuius affectio ſentitur) interſtans impedimenta non ponat. Hinc Idealiſta contra NonIdealiſtas diſputaturus maiorem (ſcilicet propoſitionem *α*) ſic proferre debuiſſet,

> Si affectiones corporum (a NonIdealiſtis) aſſumuntur eſſe aliquid quod realiter extra mentem adeſt: tunc, (ſub ea conditione, quod organon repraeſentantis, obiectum repraeſentatum, et intermedium rite ſeſe habeat) aſſumendum quod poſita idea affectionis in mente formata, ponenda ſit affectio extra mentem eidem reſpondens.

Atque nunc ſtatu controverſiae rite formato, et propoſitione hac menti NonIdealiſtarum convenienter pronuntiata: ex conſequente non ſequuntur, quae inde ab Idealiſtis derivantur, abſurda. Sub dicta enim conditione tuto aſſumi porro poteſt, quod quales ſunt repraeſentiones de affectionibus, tales ſint ipſae affectiones; tuto aſſumi poteſt, quod una

eademque affectio individualis unam eamdemque respondentem sibi habeat ideam in anima cuiuscumque cogitantis; cui in contrarium ab Idealistis adducatur impossibile est ullum exemplum. Quod si enim una eademque affectio individualis e. g. altitudo turris A, aliter repraesentatur in mente Caii, aliter Titii: dicta deficit conditio, et ratio diversae repraesentationis est vel in organo repraesentantium vel in distantia obiecti repraesentati (propiore aut remotiore) vel in intermedio. Alias enim si vel mille homines, quorum quilibet habet oculos rite constructos, in debita distantia (pro cuiusvis oculo determinanda) sibi altitudinem turris A repraesentabunt: idea omnium inter se et cum altitudine extra mentem turri inexistente conveniet. Adeoque ex NonIdealistarum hypothesi rite exhibita non sequitur hocce absurdum, quod unum idemque obiectum habeat simul affectiones contradictorie oppositas. Eorum enim nemo affirmat absque limitatione et conditione, quod e. g. turris extra mentem eam habeat altitudinem, quam sibi cogitantium quilibet repraesentat; quodque adeo altitudo extra mentem, et idea altitudinis in mente cuiuslibet cogitantis semper conveniant exacte; sed tantum asserit, altitudinem turris extra mentem et ideam altitudinis convenire, et turrim talem habere altitudinem, qualem omnes sibi repraesentantes cogitant, *si* organon cuiusque cogitantis rite sese habet, obiectum visibile in debita distantia constitutum est, et intermedius aer, aut aliud quid, nullum ponit obstaculum. 2) Absolute et sine respectu ad Idealistarum probationes etiam falsum est, quod qualitates sensibiles non competant rebus in se. Nam e. g. Extensio corporis ipsi competit vel nemine cogitante; item e. g. colores sunt affectiones corporum atque realitates, respectivae quidem in respectu ad subiectum radios lucis emittens, non respectivae adeoque absolutae in relatione ad subiectum sibi eos repraesentans, nam vel nemine cogitante creta erit alba, et gramen viridum. Hoc negare et contrarium defendere prius nemo potest, et NonIdealistarum sententiam reiicere, quam solidiora in medium proferat argumenta et alia, ac hactenus ab Idealistis sunt producta. Ex dictis igitur sufficienter patere arbitror, propositionem K. esse falsam. *Falsam hinc esse Propositionem M, adeoque et ex hocce argumento (L. M. N.) Idealistam non habere corpora reiiciendi rationem legitimam concludo.* Addo;

I. Si

I. Si quis ſenſum ſive facultatem ſentiendi, ad actum quando deducitur, tuto non niſi generaliter fallentem haberi poſſe, ideo, quia ſemel atque ſaepius decipiens deprehenditur, defendit: propoſitionem hancce, (b) *Omnis Animae Facultas, quae ſemel et ſaepius fallens deprehenditur, tuto non niſi generaliter decipiens a cauto aſſumi poteſt*, defendere tenetur. Sumatur enim concluſio; i. e propoſitio: facultas ſentiendi tuto non niſi generaliter decipiens aſſumi poteſt. Sumatur medius terminus; i e. propoſitio: quia interdum et ſaepius fallax deprehenditur. Formetur ratiocinium ſecundum regulas Logicas. Et veritas aſſerti patebit! *Aut igitur quis, facultatem ſentiendi non generaliter fallacem eſſe concedat (eoque conceſſo realitatem corporum extraidealem adſtruat); aut dictam aſſumat propoſitionem neceſſe eſt.*

SCHOL. (a) Dum omnis cognitio humana ultimato innititur quoque ſenſuum repraeſentationibus: Philoſophorum eſſet, accuratius quam hactenus factum determinare, quibusnam in caſibus certi eſſe poſſimus, utrum fallant ſenſus an non.

SCHOL (b) Eodem modo evinci poſſe manifeſtum eſt, quod ſi quis, utrum facultas ſentiendi generaliter fallax ſit an non, in dubio ſuſpenſoque relinquat, ea ex ratione, quia interdum ac ſaepius deceptrix inventa fuerit, propoſitionem hancce adſumere ſit coactus: *omnis Animae facultas, quae ſæpius fallens deprehenditur, ita eſt comparata, ut, utrum generaliter fallax ſit an non, in dubio ſit relinquendum.* Sumatur enim concluſio data, datusque medius terminus, formeturque ſyllogiſmus: et veritas aſſerti negari non poterit.

§. 20.

Impoſſibilitatem corporum, quam Idealiſta (§. 12.) defendit, eum in modum refellere tentarunt Philoſophorum quidam (a), ut poſſibilitatem eorum demonſtratum iverint, ad diſſentientium argumenta non reſpondentes. Verum, quia eiusmodi diſputandi modus, quod contradicentium uterque theſin ſuam ponat demonſtretque absque ut alterius oppoſitas rationes infringat, ad refutationem prorſus inconveniens mihi videtur; quippe ſic diſputantium quilibet vincit absque ut vincatur alter, ſaltem convincatur: contra adſertam corporum impoſſibilitatem eo potius modo agam, ut Idealiſtarum argumenta labefactem, eosque corpora ideo, quod ſint impoſſibilia, illegitime reiicere concludam.

SCHOL. (a) In quorum numero primo loco notandus eſt Perilluſtr. de Wolff; et qui eius veſtigia premit Cel. Carpovius. Prior in Theol. Nat. P. II. §. 642. poſſibilitatem corporum (intrinſecam praecipue; nam extrinſeca, reſpectu Dei, ſupponit intrinſecam; haec igitur demonſtretur tantum neceſſe eſt; prout recte Perill. Philoſophus l. c. §. 645. ſch. „*neque enim*, inquit, *ſine illa*, ſcilicet intrinſeca, *poſſibilitas eorumdem extrinſeca per omni-*

omnipotentiam Dei, et actualitas per voluntatem, constare potest „) sequenti modo comprobavit,

A. Substantiae primariae sive simplices sunt possibiles (§. 313.)

B. Aggregatio substantiarum simplicium est possibilis (§. 221. Cosm. sive potius §. 220.)

C. Ergo, Corpus est possibile

Ut stabiliret *Propositionem A*, §um 313, allegavit; qui ipse quidem non exhibet probationem (hocce quippe demonstrans assertum: Si dentur substantiae primariae, ut simplices sint necesse est), cuius vero scholion eamdem sup. peditat sq. m.

(m) Realitates limitatae (i. e. realitates omnium rerum finitarum, in se, seorsim, et extra nexum quo res finitas constituunt, spectatae) sunt possibiles. Nam insunt realitatibus illimitatis, in quibus Deus intuetur omnes realitates limitatas.

(n) Combinatio realitatum limitatarum in uno subiecto compossibilium, est possibilis. Nam intellectus divinus combinat realitates limitatas iuxta principium contradictionis.

(o) Hinc, Substantiae simplices sunt possibiles. Nam ex combinatione realitatum limitatarum prodeunt substantiae primariae omnes; eaeque non sunt nisi simplices.

Ut vero firmetur *Propositio B*: citatur §. 221. Cosmol. qui sequentem continet demonstrationem

(p) Si elementa aggregantur - - - habemus entia plura diversa, seu extra se existentia in uno coëxistentia.

(q) Ergo, (si elementa aggregantur), aggregata illa sunt extensa; sive, ex eorum aggregatione oritur extensio.

(r) Alia Demonstratio. Dum ideam rei corporeae habemus: aggregatum elementorum nobis in mente repraesentamus.

(s) Ergo, (dum ideam rei corporeae habemus): plura extra se invicem existentia, tamquam in uno nobis repraesentamus.

(t) Ergo, (dum ideam rei corporeae habemus): notio extensionis in nobis oritur, sive, extensionem nobis repraesentamus.

Dicis forsitan; in hocce § non demonstratum esse, quod aggregatio elementorum sit possibilis; sed tantum, quod si aggregentur elementa, inde oriatur extensio; finemque Perill. Philosophi esse (id quod lemma in margine positum indicat), in hocce §o non, possibilitatem aggregationis, sed ortum extensionis explicare. Concludis itaque fortassis, probabile esse quod ex errore typographico §is 220. sit loco huius §i 221. assumendus; quia §us 220 probationem propositionis demonstrandae, scilicet quod aggregatio elementorum possibilis sit, contineat. Ut igitur omnem, quae unquam adhiberi potest, aequitatem exerceamus; adducamus etiam demonstrationem §i 220; quae haec est,

(u) In

(u) In ipsis elementis datur ratio coexistentiae (cuiuslibet cum reliquis, adeoque aggregationis) §. 202. i. e. quia ratio coexistentiae nec est in spatio, nec extra elementa. Ergo, in elementis, sive, quod idem est, Elementa aggregata actu sunt, idque ob rationem ipsis intrinsecam; non extrinsecam.

(v) Posita eorundem aggregatione, ponitur, quod (quia singula singulis dissimilia sunt) nullum eorum ex complexu reliquorum eximi possit; ponitur itaque eorundem inseparabilitas.

(w) Adeoque (posita eorum aggregatione) vi inseparabilitatis eorum, ponitur eorum unio.

Haec est, qua utraque Propositio A et B stabilitur demonstratio. Ex priore edocemur adhuc sequentia;

Nota 1. Consentiente Perill. Philosopho, omnis qui ens simplex finitum A possibile esse affirmat, antea demonstrare tenetur, non solum quod realitates, quas ceu constitutiva huius A assumit, seorsim, in se, et extra nexum quo hocce A constituunt, sint possibiles; sed praesertim, quod sint compossibiles in uno subiecto et ab intellectu divino potuerint combinari (Vid. prop. n.). Hinc omnis, qui speciatim ens simplex ad constituendum corpus aptum, sive elementum corporis, possibile esse affirmat: probare tenetur, non solum quod hae realitates (α) ens simplex, β) admittens aliorum contactum, saltem proximam aliorum circumcoexistentiam, i. e. aptum ad constituendum corpus) in se sint possibiles; sed praesertim quod sint compossibiles in uno subiecto, adeoque ab intellectu divino potuerint combinari. *Si quis* igitur *compossibilitatem harum realitatum non probavit: possibilitatem entis simplicis, quod est elementum corporis, ipso Perill. Philosopho consentiente non evicit.*

Nota 2. Quidquid valet de combinatione duarum realitatum, scilicet, quod impossibilis sit, nisi realitates sint compossibiles: id, ob identitatem rationis (quidquid non compossibile, non combinari potest) valet de combinatione duarum substantiarum simplicium, in se et extra nexum possibilium. Nimirum, si substantiae eiusmodi sint quidem in se et seorsim possibiles, non vero compossibiles: combinatio earum, ut inde fiat aggregatum, est impossibilis. Si quis igitur a priori evincere intendit possibilem entium simplicium, quae sunt elementa corporum, combinationem; non tantum, quod entia illa in se, seorsim, et extra contactum aut saltem circumcoexistentiam proximam spectata, sint possibilia, sed praecipue, quod sint compossibilia, quodque ex eorum combinatione non oriatur contradictio, evincere debet. *Hoc qui non praestitit, nec possibilitatem aggregationis elementorum eviciſſe, consentiente Perill. Philosopho, est dicendus.*

Nota 3. Obiter hic annotandum adhuc esse arbitror, *quod* §*us* 220. *Cosm. neque minus* §*us* 221. *vi systematis Perill. Philosophi supponat actualitatem corporum in hoc mundo aspectabili.* Actu enim existere corpora, Perill. Philoso-

losophus non demonstravit in Ontologia, neque a priori neque a posteriori. Ibi namque notiones entis compositi atque simplicis explicans, exinde hasce tantum deduxit positiones conditionales,

Si dantur composita: ex simplicibus consistant necesse est (Vid. Ont §. 686.).

Si dantur composita: non sunt substantiae, sed aggregata substantiarum simplicium (Vid. Ont § 792. 793.)

Si dantur Simplicia: in iis assumenda est vis, rationem continens omnium eorum, quae ipsis competunt. Ut alias silentio praeteream.

In Cosmologia quoque actualitatem corporum non probavit, a priori nimirum, (id quod ocularis inspectio edocebit quemlibet, et exinde patet etiam, quod demonstrationem de existentia corporum a priori factam in Theol. Nat P. II § 644. demum exhibet contra Idealistas disputans; quam si in Cosmologia iam exhibuisset, in Theol. Nat. sane citasset); sed eam tantum ex indubia assumsit experientia absque omni demonstratione. Spectemus breviter et quantum ad scopum nostrum facit, quo ordine in Cosmologia meditationes evolvat suas! Sequentes se invicem excipiunt positiones,

α) Dantur in mundo aspectabili entia composita sive corpora, tam totalia quam partialia inter se connexa. Vid. Cosm. § 49. 51. 52. 53. sq. Conf §. 119.
Notes, statim in limine cosmologiae actualem corporum existentiam supponi et ex experientia assumi.

β) Corpora haec sunt composita ex substantiis simplicibus seu Elementis. Vid. Cosm. §. 176. 79 181. 182. etc.; quibus inest Vis. §. 195. 196.
Notes, praesuppositа corporum actualitate, demonstrari demum quod consistant ex elementis (idque ope propositionis in ontologia demonstratae, quod, si dentur composita, ex simplicibus consistant). Ab actualitate igitur corporum praeassumta ad actualitatem elementorum, aggregationisque eorum proceditur.

γ) Ratio huius ex simplicibus compositionis, est in ipsis simplicibus sive elementis. Nam in elementis ipsis est ratio coexistentiae § 202.; adeoque ratio nexus inter ea intercedentis § 204. 205; adeoque ratio unionis § 220; adeoque extensionis in corpore § 221.
Notes, praesuppositа elementorum actualitate eorumque actuali aggregatione et unione, inquiri deinceps demum §. 220. in rationem, unde ista aggregatio proveniat.

Vides hinc, dicta retro aspiciens, quod §. 220, itemque §. 221, in rationem compositionis aggregationis extensionisque inquirentes, in systemate Perill. Phiosophi supponant actualitatem elementorum eorumque aggregationis (per prop. β), adeoque supponant actualitatem ipsorum corporum.

SCHOL.

SCHOL. (b) Cel. Carpovius in Diss., *Idealismus ex concessis explosus*, corporum possibilitatem eum in modum contra Idealistas demonstrat.

A. Entia simplicia ex quibus corpora componuntur, sunt possibilia intrinsece. Diss. §. 5. (et extrinsece §. 6. 7. ad quod vero non praecipue attendendum). Nam

(u) Actu dantur entia simplicia; qualia sunt Deus et anima, suis perfectionibus gaudentia.

(v) Ubi maior gradus perfectionum est actualis, ibi minor est possibilis; maior enim includit minorem.

(w) Ergo, possibilia sunt entia simplicia, Deo et anima humana imperfectiora.

(x) Entia simplicia ex quibus corpora componantur, sunt entia simplicia Deo et anima imperfectiora §. 4. Diss. Carpov.

(y) Ergo, Entia simplicia, ex quibus corpora componantur sunt intrinsece possibilia.

B. Entium simplicium, ex quibus corpora componantur, aggregatio est possibilis §. 8. Diss. Carpov.

(z) Demonstratio cuius breuiter absolvitur hisce verbis: Nam nulla in eo est contradictio! item §. 45. sch. Aggregatio contradictioni obnoxia non est.

C. Ergo, Entia composita dari, possibile est §. 8.

D. Ergo, Corpora dari, est possibile §. 11.

SCHOL. (c) Quod autem pace Cel. Virorum dixerim; multa habet quae contra huiuscemodi demonstrationes moneat, Idealista. Contra Wolfium speciatim regeret, I. Quod *propositionem A*, nimirum possibilitatem substantiarum simplicium, solide non probaverit. Nam (1) forma demonstrationis non est legitima. Adsumatur enim legitima; et tunc per eiusmodi demonstrationem, ab intellectu divino dependere non solum omnium entium finitorum essentiam sed etiam existentiam, evincere quid vetat? Fiat periculum! Realitates omnium rerum finitarum intellectus Dei in illimitatis perfectionibus intuetur (per Prop. m.); ad quas etiam pertinet existentia, quia in existentia sui ipsius intueri potest etiam existentiam finitorum. Hasce realitates combinat intellectus divinus iuxta principium contradictionis (per Prop. n.); combinat itaque cum realitatibus reliquis, quae ad constituendum quodlibet subiectum sive quamlibet rem finitam pertinent, etiam existentiam; haec enim cum reliquis est compossibilis, id quod exemplo rerum nunc existentium comprobatur. Hac operatione intellectus divini realitates compossibiles combinantis omnes prodeunt res finitae (per Prop. o.), eaeque non possibiles tantum sed etiam existentes; quia cum reliquis realitatibus ad quodlibet ens pertinentibus etiam existentiam combinare potest intellectus. Adeoque, si vera est eum in modum formata demonstratio; intellectus divinus erit fons non solum possibilitatis, sed

etiam existentiae omnium rerum unitarum. Quo vero asserto ipsemet sibi contradiceret Perill. Philosophus (Theol. N. P. I. §. 434.). (2) Materia demonstrationis non est legitima; quod fusius ostendere posset, cui peculariter in eam inquirendi esset institutum, hoc loco autem omittitur, quia dicta et modo dicenda iam sufficiunt ostendere, quod Perill Philosophi demonstratio ad evincendam corporum possibilitatem suppeditata, haud iniuste ab Idealistis reiiciatur. II. Quod, si quoque probatio propositionis A ceu vera et legitima concederetur, Perill. Philosophus tamen non, quod demonstrandum erat, demonstraverit, nimirum possibilitatem entis simplicis quod est stamen corporis. Probasset enim quidem possibilitatem entis simplicis (per hyp.). Sed quia non commonstravit, quod realitates quae ad τὸ esse elementi corporum, i. e. ad τὸ esse entis simplicis, ad constituendum corpus apti requiruntur, sint in uno subiecto composibiles et ab intellectu divino potuerint combinari: *ipso consentiente, non stabilivit possibilitatem* entium simplicium, d quibus h. l. est sermo, scilicet *elementorum corporis*, (Vid. schol. praec. a. not. 1.). Dicis forsitan, Perill. Philosophum defendens, eum qui possibilitatem entis simplicis in genere demonstrat, demonstrasse eo ipso possibilitatem entis simplicis in specie; adeoque entis simplicis quod est elementum corporis. Miratur Idealista te haecce facientem verba. Atque, sic, ait, qui possibilitatem spiritus demonstravit, eo ipso etiam possibilitatem demonstravit spiritus in specie, adeoque spiritus qui est anima bruti. Excipis iterum. Spiritus qui est anima bruti, est contradictio in adiecto, (non enim composibiles sunt hae realitates, spiritum esse et animam bruti esse) adeoque spiritus qui est anima bruti non est species spiritus sed terminus inanis. Regerit Idealista. Ens simplex ad constituendum corpus aptum est contradictio in adiecto (non enim compossibiles sunt hae realitates, ens simplex esse, et admittere contactum vel saltem proximam circumcoexistentiam aliorum simplicium, ut inde fiat corpus), adeoque ens simplex quod est elementum corporis est terminus inanis, non species entis simplicis. III. Quod *Propositionem* B. solida non firmaverit demonstratione. Citatus enim §. 221. Cosm. hanc quidem exhibet propositionem (Si Elementa aggregentur sive aggregata sint, oritur inde extensio); non autem, quod elementa aggregari possint. Adeoque in hocce §. 221. *possibilitas aggregationis elementorum, ipso consentiente Perill. Philosopho* (Vid. sch. praec. a. not. 2) *non est probata.* Idem dicendum de §. 220. Cosm. Nam α) demonstratio huius §i est fundamento destituta; prout quemque ocularis inspectio docebit. Innititur enim §o. 202. Et hicce innitur iterum (vide eius demonstrationem in ipso Perill. Philosophi systemate) principio huic: Ratio coexistentiae elementorum nec in spatio, nec extra elementa in re quadam alia datur. Id quod vero nullibi probatur, sed precario assumitur, et petitio

titio principii committitur aperta. Ubi namque, rationem coexistentiae non esse extra elementa in re quadam alia demonstravit? Id quod tamen erat demonstrandum. β) Concedatur, demonstrationem §i 220. non esse fundamento destitutam atque legitimam! Tunc hocce licet concesso negari tamen nequit, quod ibi quidem probata sit propositio (*Si* elementa aggregata sint, sive, posito aliquo elementorum aggregato: ponenda est eorum inseparabilitas et unio); non autem quod aggregari possint elementa. Id quod tamen erat probandum. Dicis forsitan, Perill. Philosophum defendens; ex principiis Perill. Philosophi tamen posse demonstrari possibilitatem aggregationis elementorum, sq. m Elementa habent vim. Vis efficit ut quodlibet aggregetur cum reliquis. Inde oritur actualis aggregatio. Ergo, possibilis est aggregatio elementorum. Q. E. D. Verum respondebit tibi Idealista. Concedatur elementa habere vim (id quod tamen eo quo defenditur et applicatur sensu, in toto quam late patet Systemate Perill Philosophi a priori non est evictum). Num vis elementorum aliquid efficere valet, quod impossibile est; num efficere poterit ut elementa aggregentur actu? Regeris forsitan. Vis elementorum non efficere potest, quod est impossibile; sed aggregatio non est impossibilis. Respondebit Idealista. En Petitio principii! Supponis, aggregationem esse possibilem; assumis vim elementorum efficere ut elementa actu aggregentur; et concludis inde, aggregationem esse possibilem. En circulus in demonstrando!

SCHOL. (d) Ad Carpovii argumentum regeret Idealista, I. *propositionis* A demonstrationem esse nullius momenti. Et quidem (1) formam non esse legitimam. Quid, si quis ad modum eiuscemodi demonstrationis sic ratiocinaretur? Actu dantur figurae decem lineis rectis terminatae (Vid. prop. u.). Ubi maior numerus linearum rectarum actualis, ibi minor possibilis (Prop. v.). Ergo possibiles sunt figurae minorem numerum linearum rectarum habentes quam decem (Prop. w.) Figurae duabus lineis rectis terminatae sunt figurae minorem numerum linearum rectarum habentes quam decem (Prop. x.). Ergo, Figurae duabus lineis rectis terminatae sunt intrinsece possibiles (Prop y.). Obiiceret forsitan Cel. Carpovius, figuras duabus lineis rectis terminatas esse contradictionem in adiecto; adeoque inaniter et sine mente dici figuras, numerum linearum rectarum minorem quam decem habentes. Sed respondebit Idealista, entia simplicia eiusmodi ex quibus corpora componantur (i. e. simplicia proximam circumcoexistentiam aliorum admittentia adeoque peripheriam et extensionem habentia), esse contradictionem in adiecto, adeoque inaniter et sine mente dici entia simplicia Deo et anima humana imperfectiora (2) materiam demonstrationis quoad omnes fere propositiones singulas censumereri, e. g. *Propositionem* v., eo quo applicatur sensu esse falsam, (licet

egregium ſit artificium heuriſticum recentiorum quorumdam philoſophorum, cuius ope mirabilia ſaepe demonſtrantur et demonſtrari poſſunt; huius enim ope, poſſibilem eſſe polypum unipedem, corpus humanum duobus membris conſtans, aliaque eiusmodi, evincere quid vetat?). Item, *Propoſitionem* W., eo quo intelligitur et applicatur ſenſu, eſſe falſam. Nam verum quidem eſſe, quod dentur entia ſimplicia Deo et anima humana imperfectiora (Vid. §. 12. I.); quod autem dentur entia ſimplicia Deo et anima humana imperfectiora eiusmodi, quae ſunt elementa corporum, eſſe falſum. II. *Propoſitionem* B, omnium principalem (§. 12. II.) absque omni probatione axiomatis inſtar eſſe aſſumtam; adeoque, ſi Perill. Philoſopho credendum (Vid. ſchol. praec. a. not. 2.), poſſibilitatem aggregationis elementorum prorſus non probatam.

§. 21.

Quod ſi igitur Idealiſta impoſſibilitatem corporum ideo defendit, quia impoſſibilitatem tam ſtaminum corporis ſeorſim ſpectatorum tam eorumdem aggregationis, argumento (§. 12.) adducto eviciſſe putat: hocce argumentum variis ex rationibus infringi, haud difficile poteſt. Nam I. *Propoſitio C. eſt falſa*, et non evincit, omne quod umquam ceu conſtitutivum corporis aſſumi poteſt, notione ſua includere contradictoria. Quippe quod licet de puncto mathematico et ſtamine in infinitum diviſibili ſit concedendum; de atomis tamen, multo minus de monadibus poterit probari. Oſtendatur membratim! α) Punctum mathematicum, quacumque illud declares explicatione, eſſe ens contradictiorias realitates conceptu ſuo involvens non nego. Sive enim per illud intelligeres τὸ nihil extenſum: contradictio eſt aperta. Sive vero (quod plurimis arridet eorum defenſoribus) dicas eſſe ens reale, penetrabile et ad conſtituendum corpus aptum: itidem eſſe ens rationis, ens repugnantia includens affirmo; idque ex conceſſis. Punctum enim mathematicum nonne eſt non impenetrabile? Concedunt id mathematicorum omnes, eſſe penetrabile aſſerentes, ſic ut cum uno puncto mathematico plura alia coincidere, illudque penetrantia ſimul cum eo eumdem numero locum occupare queant. Quidquid vero non eſt impenetrabile: nec affectionum impenetrabili qua tali competentium eſt capax. Affectio impenetrabili per ſuam ipſius notionem competens et ſine qua ne cogitari quidem poteſt, eſt, quod reſiſtat omnium omnino ſubſtantiarum ingreſſui in ſe, quod licet ad

arcti-

arctiſſimam cum aliis coexiſtentiam adactum, excludat tamen quodlibet extra ſe efficiatque ut ſecum eumdem numero ipſum locum occupare nequeant, breviter, quod ipſum conſtanter habeat extreitatem reſpectu reliquorum omnium, omniaque extreitatem habeant reſpectu ſui. Adeoque punctum mathematicum hanc ſibi vendicare non poteſt affectionem; ſed oppoſitam. Atque hinc ad arctiſſimam cum aliis coexiſtentiam adactum admittit aliorum in ſe ingreſſum, et ut reliqua eumdem numero ſecum occupare queant locum. Haec involvit penetrabilitas! Iam vero etiam punctum mathematicum eſſe ad conſtituendum corpus aptum concedunt. Quidquid vero ad conſtituendum corpus aptum aſſeritur, tale ſit neceſſe eſt, quod ad maxime intimam coexiſtentiam cum pluribus ſui ſimilibus poteſt adigi, absque ut unum in alterum incidat et ab eo penetretur, et abſorbeatur quaſi; quodque adeo, poſita plurium aggregatione arctiſſima reſiſtit reliquorum ingreſſui in ſe, excludit reliqua, efficitque ſic, ut oriatur corpus et extenſum, ex partibus extreitatem habentibus conſiſtens. Haec involvit aptitudo ad conſtituendum corpus! Punctum itaque Mathematicum, vi notionis a mathematicis ſuppeditatae, eſtens, quod ad arctiſſimam cum aliis coexiſtentiam adactum aliorum ingreſſum in ſe admittit, et ſimul non admittit; et quod aptitudinem unum eumdemque numero locum cum illis occupandi habet, et ſimul non habet. ε) Stamina in infinitum diviſibilia ſi corpus conſtituere dicatur: aſſumi entia notione ſua includentia aliquid, quod veritatibus evidentibus repugnat, non ſolum non nego ſed et defendo. Aſſumto enim, corpora conſiſtere ex partibus in infinitum diviſibilibus, adeoque in infinitum eſſe diviſibilia: aſſumendum eſſe quod pars ſit aequalis quin maior toto, quod unum quantum in infinitum diviſibile altero debeat eſſe maius, oſtendi in *Commentat. Realitas Monadum ex natura corporis demonſtrata*, §. 64 *Jqq.* Hoc autem falſum eſſe, ibidem oſtendi §. 33. Cor. V. (a). γ) Atomum, ſi explicatur ſecundum Epicuri mentem, non includere repugnantia, certiſſimum eſt. Eſt namque minimum corpuſculum (tale, cuius conſtitutiva tam arctiſſime cohaerent, ut nulli remaneant pori aut intervalla, quibus ſeſe intermiſcere poſſet aliud ens extrinſecum); et indiviſibile (nimirum, per vires naturae, non autem in ſe). Nam ſi ens naturaliter eſt dividendum: aliud ens extrinſecum poros dividendi, aut intervalla quas

partes

partes ſitu efficiunt ſuo, ingredi, cohaeſionem partium ſeparare atque ſic diviſionem abſolvere debet. Ubi vero contradictio? Aliquid in ſe eſſe diviſibile et reſpective indiviſibile, quaenam repugnantia? δ) Monades quoque conceptu ſuo involvere contradictionem, eſt falſum. Non loquor de Monadibus, in ſenſu Leibnizii ac Wolffii ſumtis. Monades enim iis praeditas affectionibus, quas dicti Duumviri illis tribuunt, eſſe entia rationis et non realia ſi quis aſſereret: contrarium defendere non audeo, ſed aliis relinquo. Sic etiam, ſi quis demonſtrationem Per-Ill. Wolffii, qua corpora ex monadibus conſiſtere ex principio Rationis Sufficientis colligitur, eſſe innixam principio nullibi probato aſſereret, me non habebit diſſentientem. Loquor tantum de monadibus, ſi per eas intelliguntur ſubſtantiae ſimplices, impenetrabiles, ad conſtituendum corpus aptae. Ex eiusmodi monadibus corpora conſtare defendo (Vid. Comment. meam §. 72.); eiusmodi non involvere contradicentes ſibi realitates, ſed poſſibile eſſe ut entia quaedam ſint ſimplicia et tamen ad proxime cum aliis coexiſtendum efficiendumque corpus apta, ſtatim infra ſi poſſibilitatem aggregationis explanabo, oſtenſurus ero. II. *Propoſitio D. eſt falſa*; et non evincit impoſſibilitatem aggregationis eorum, quae unquam ceu ſtamina corporum aſſumuntur. Neque enim, prima ratio, quod ſeorſim ſpectata impoſſibilia ſint; neque ſecunda, quod ſi per hypotheſin poſſibilia eſſe concederetur, eorum tamen aggregatio impoſſibilis foret, probata eſt. Licet enim concedam, α) punctorum mathematicorum, etiam ſub hypotheſi quod entia ſint realia, aggregationem eſſe impoſſibilem; quia impoſſibile ut entia penetrabilia ab aliis, et, ad arctiſſimam coexiſtentiam cum aliis adacta ſui ingreſſum admittentia, eum in modum combinentur, ut fiat aggregatum, extenſionem adeoque extreitatem et impenetrabilitatem cuiuslibet ſui conſtitutivorum neceſſario requirens. Licet quoque β) partium in infinitum diviſibilium aggregationem eſſe impoſſibilem ſi aſſeratur, contrarium non defendam. Tamen γ) atomos, ſub ea hypotheſi quod entia realia eſſe concedantur, aggregari poſſe quid vetat? Qua enim ex ratione corpuſcula, quae extenſionem magnitudinem atque figuram habent, aggregari repugnet ut inde fiat corpus, non video. Vellem ut unicum aggregationis intrinſece poſſibilis obſtaculum oſtendatur (b). Nequc δ) Monadum, ſub hypotheſi quod ſubſtantiae ſimplices et impene-

penetrabiles eſſe aſſumantur, aggregationem et coexiſtentiam proximam arctiſſimamque impoſſibilem, quis poterit ſufficiente cum ratione pronuntiare. Aſſumta enim monadum circumcoexiſtentia proxima, licet quoad noſtrum concipiendi modum (nos enim, qui rerum materialium repraeſentationibus aſſueti ſumus et entis ſimplicis imaginem in mente formare ignoramus, rem, circa quam aliae circumſtare dicuntur, cogitare nobis non poſſumus absque peripheria quadam et extenſione, latera et varia contactus, ſive actualis ſive poſſibilis, puncta admittente) involvere videatur, quod monas ab aliis monadibus proxime circumcoexiſtentibus circumſepta, latera quaedam undiquaque ab aliis monadibus tacta et peripheriam habeat: revera tamen et in ſe tantummodo infert, quod modus quo entia ſimplicia arctiſſime ſibi coexiſtunt, nobis ſit inconceptibilis et inexplicabilis; minime autem, quod monas ab aliis monadibus circumdata actu habeat peripheriam et extenſionem, multitudinem partium laterum et punctorum contactus involventem. Idque ſequenti ratione contra diſſentientes ſtabilio. Si neganda eſt monadum proxima circum ſe invicem exiſtentia; ideo quia exinde quoad noſtrum concipiendi modum, monadem habere peripheriam aliquam et extenſionem latera et puncta contactus (ſive actualis ſive poſſibilis adſumatur) involventem ſequitur: neganda quoque eſt entium ſimplicium finitorum quorumvis (item neganda eſt animae in corpore) exiſtentia; quia exinde idem ſequitur. Falſum autem eſt poſterius; id quod non ſolum NonIdealiſta, ſed et Idealiſta h. l. ſub hypotheſi ſaltem, concedit. Adeoque falſum eſt prius. Quod autem ex aſſumta entium ſimplicium quorumvis idem, quod ex aſſumta monadum proxima circumcoexiſtentia, ſequatur: facile patet. Ponamus ſubſtantias ſimplices ABC exiſtere extraidealiter. Ergo coexiſtunt, ſit in quanam aſſumatur diſtantia. Ergo fieri poteſt, ut coexiſtant in linea recta (aſſumatur diſtantia proxima aut remotiſſima; aſſumatur quoque quiliber alius coexiſtendi modus, pro lubitu), ſic ut B medium inter A et C occupet. Ergo neceſſe eſt, ut B ab una plaga coexiſtentem ſibi habeat illam A, et ab altera e diametro oppoſita hanc C; et ut linea recta, quae vel cogitando ducitur ab A ad B in hocce B (quod eſt impenetrabile) incidat ab una plaga, et quae a C ducitur ad B, incidat ab altera et oppoſita plaga. Ergo neceſſe eſt, ut

in ente ſimplici B diverſa ſibique e diametro oppoſita adſumantur puncta contactus (ut ita loquar); quia enim B eſt impenetrabile, non admittit ut linea quae ab A ad B, et ea quae a C ad B ducuntur, coincederent inter ſe, ſed efficit ut lineae iſtae duplex habeant punctum incidentiae. Atque ſic ex exiſtentia quorumvis ſimplicium, quoad noſtrum concipiendi modum ſequitur, quod ens ſimplex unum, circumdatum ab aliis habeat latera, peripheriam, extenſionem. Idem quoque concedere te oportet, quisquis es, qui animam eſſe ens ſimplex et in corpore exiſtere concedis. III. *Falſa igitur eſt propoſitio F; adeoque totum ruit, quo impoſſibilitas corporum evincenda erat argumentum.*

SCHOL. (a) Quum impoſſibile eſſe affirmem, ut unum quantum in infinitum diviſibile altero ſit maius: me, non contradicere notandum venit, Mathematicis, quippe qui terminum huncce aliter ſumunt, per infinitum intelligentes indefinitum. Ego vero cum Metaphyſicis loquor, per in infinitum diviſibile intelligens id, in cuius diviſione ut demum ſubſiſtatur in ſe impoſſibile eſt. Atque tunc, quantum in infinitum diviſibile, quod maius eſſet altero, ponere affirmo contradictionem in adiecto. Nonne minus dicitur, quod totum eſt parti alterius aequale? Nonne minus diviſibile, in cuius diviſione eſt ſubſiſtendum, dum in alterius diviſione adhuc pergi poteſt? Nonne igitur minus diviſibile habet diviſibilitatem terminatam, adeoque eſt in finitum diviſibile. Num id quod eſt in finitum diviſibile, poteſt eſſe in infinitum diviſibile? Num igitur quantum in infinitum diviſibile poteſt eſſe minus altero quanto, num alterum igitur poteſt eſſe maius?

§. 22.

Argumentum (§. 13.) exhibitum nonrealitati corporum quoque non patrocinatur. I. Propoſitio A veriſſima eſt, ſed male applicata (a). II. *Propoſitio C*, fundamentum totius argumenti, *eſt tantum ſub conditione vera.* Verum nimirum eſt, quod ſi quis aſſumit, vel Deum immediate excitare omnes ſenſationes, vel Animam ipſam easdem in ſemetipſa producere ſive corpus exiſteret ſive non: aſſumere debeat, quod finis corporum extraidealiter exiſtentium (nimirum ſi hic finis aſſeritur eſſe gloria divina, hominibus praeſertim, manifeſtanda; Vid. Perill. de Wolff. Theol. Nat. P. II. §, 644.) actu obtineatur absque ut exiſtant corpora; quod itaque corpora (reſpectu huius finis ſaltem) exiſtant fruſtra. Sed ruit conditio, ſub qua propoſitio haecce vera eſt. Nam, Deum eſſe cauſam ſenſationum animae inexiſtentium,

neque

neque Carteſius neque Carteſianorum aliquis unquam probare ſufficienter, et inconvenientes exinde fluentes conſequentias removere potuit. Et, animam propria ſua vi easdem in continua ſerie producere, neque Leibnizius neque Wolffius neque aſſeclarum quidam ſtabilivit unquam. Ruit igitur veritas ipſius Propoſitionis C. Huic quia innixa eſt propoſitio D; III. *Propoſitio D* eſt itidem tantum ſub conditione vera, adeoque hacce ruente, *eſt falſa. Ruit igitur propoſitio F; atque totum argumentum Idealiſtae non eſt cauſſa ſufficiens corporum extraidealem deciſive negandi exiſtentiam.*

SCHOL. (a) Huius generis aſſerta, quae in ſe vera quidem ſunt, ſed male applicantur, in quorundam recentiorum Philoſophorum Syſtematibus undiquaque deprehendere licet; quorumque ope omnia, quidquid lubet, demonſtrare poſſunt. Quorum in numerum refero, ſi qui quidvis ex ſapientia et bonitate Dei, alii ex manifeſtatione gloriae divinae, alii ex mundo optimo et neſcio ex quonam alio fonte deducunt. Quaſi vero ſcirent, quid ſapientia et bonitas Dei, quid manifeſtatio gloriae divinae, quid mundus optimus requirat; quaſi vero id, quod interdum ſapientia et bonitas, aut manifeſtatio gloriae, Demonſtrantis poſtulat, ſapientia, aut gloria Dei poſtulet!

§. 23.

Ad argumentum (§. 14) explanatum reſpondeo breviter, I. Quod ex aſſertis ſcripturae ſacrae his vel illis in contextu ſpectatis realitas corporum extraidealis, ſaltem per conſequentias legitimas et ratiocinando, non poſſit evinci, ſimpliciter affirmari nequit. Interim Philoſophus in eadem evincenda male confugit ad ſcripturam Sacram; qua Philoſophus enim rimatur tantummodo ea, quae ratio humana ſibi relicta eruere valet. II. Quod ſcriptura Sacra interdum in proponendis aſſertis, res naturales ſpectantibus, ſeſe accommodet ad conceptum, quem homines quos alloquitur hiſce de rebus ſibi formare ſoliti fuerunt, absque omni, ſi quod ego iudico, inconvenientia et irreverentia dici poteſt. Interim, eſt problema in utramque partem diſputabile, neque a negantibus, neque ab affirmantibus ſufficienter et omnino probatum. Qui affirmantem tuentur ſententiam, et ad ſolem currere circa terram in ſcriptura dictum, cum tamen tellus rotetur circa ſolem, provocant: ſyſtema copernicanum ad hunc usque diem non eſſe niſi hypotheſin Philoſophicam meminerint,

quod ſummum quidem probabilitatis gradum, non vero certitudinis, aſcendit; attendantque ad experientiam, quae per ſecula interdum viguerunt aſſerta, falſa tamen deinceps inventa eſſe atque reiecta, docentem. III. Quod ſi ex ſcriptura Sacra prorſus non poſſe corporum adſtrui realitatem concedatur: *ſufficit* tamen, *quod ſacrae litterae etiam non ſuppeditent Idealiſtae, corpora deciſive negandi rationes.*

§. 24.

Contra Pluraliſtam, adeoque contra argumentationes (§ 16.) explicatas, data opera non diſputat NonIdealiſta; concluſionem namque, quod plures exiſtant ſpiritus finiti, concedit; et quae contra demonſtrationem, qua concluſio firmatur, moneri poſſunt, Egoiſtae relinquit. Hicce vero eo maiori niſu adverſarium adoritur, eiusque ratiocinia infringere ſtudet. Et, ſi dicendum quod res eſt, quid faciliori opera effici unquam poterit? Quod ſi enim prius argumentum (E. F. G.) ſub cenſuram vocamus: I. *Propoſitio* C; adeoque Propoſitio Maior E, eſt aequivoca. (Vid. §. 16. ſch. c.). II. *Propoſitio* D; adeoque Propoſitio Minor F, eſt aequivoca itidem. (Vid. § 16. ſch. d.). Hinc III. totum argumentum (E F. G.) eſt aequivocum, et vel huncce habet ſenſum,

Si praeter ſubſtantias materiales quae *hactenus* a me appercipiuntur, dantur aliae quae *nondum* appercipiuntur a me; quas tamen adhuc appercipere poſſum: ſequitur ut praeter me illas appercipientem, dentur alia entia cogitantia haſce appercipientia. Atqui, verum eſt prius. Dantur nimirum praeter ſubſtantias materiales quae *hactenus* a me appercipiuntur, plures aliae quae *nondum* a me appercipiuntur, quas tamen appercipere poſſum ſucceſſive.

Ergo, Verum eſt, quod exiſtant praeter me alia entia cogitantia. vel etiam hunc exhibet ſenſum,

Si praeter ſubſtantias materiales, quae *a me* appercipiuntur, dantur aliae quae *non a me* appercipiuntur nunc, aut antehac apperceptae ſunt, aut in poſterum appercipientur (ſed ab aliis): ſequitur ut praeter me illas appercipientem, dentur alia entia cogitantia haſce appercipientia.
Atqui verum eſt prius.
Ergo, verum eſt poſterius.

Quo-

Quocumque etiam ſenſu hocce argumentum accipias : concluſio non ſequitur ex praemiſſis. Si priori intelligis : Major eſt falſa eique conſequentia deficit. Si poſteriori : Minor (licet in ſe vera ſit, et a Non-Idealiſta concedatur, tamen) falſa merito ab Egoiſta dicitur, quia a Pluraliſta nullibi eſt probata ; nec quamdiu manet Idealiſta, probari umquam poterit. *Atque ſic prius argumentum ab Egoiſta reiici poteſt. Alterum argumentum* (L. M. N.) ſi examinatur, 1. *Propoſitio K* in ore Idealiſtae *eſt falſa*, atque hinc recte ab Egoiſta reiicitur, Nam, de corpore ſuo ideali valere quod cum eo coniunctus ſit ſpiritus, affirmare quidem poteſt Idealiſta, idque eam ob rationem, quia hujus cum corpore ſuo conjuncti ſpiritus, id eſt, ſui ipſius, ſibi eſt conſcius adeoque hunc ſpiritum ex propria conſcientia cognoſcit. Sed idem valere de alio quodam humano corpore ideali, quod nimirum cum eo quoque coniunctus ſit ſpiritus finitus, affirmare nequit ; non enim eius, aeque ac ſui, eſt conſcius. Adeoque quae prius aſſerere cogebat, ratio in poſteriori caſu non adeſt ; neque aliae praeterea adſunt, dum neque quod ſenſus neque quod ratio neque quod ſcriptura Sacra, corporibus humanis reliquis inexiſtere ſpiritus, doceat aſſumere poteſt Pluraliſta (Vid. §. 17. Prop. B, C. D. Confer. §. ſq. 25) ; et ridiculum pronuntiare eſt adactus, quod in corpore quodam humano, id eſt, in ſua idea, in cogitatione menti ſuae inexiſtente, habitet ſpiritus quidam finitus, quem exiſtere nec per ſenſus nec per rationem nec per revelationem ſe cognoſcere concedit. *II. Hinc Propoſitio Maior L. eſt falſa, adeoque et totum argumentum* (*L. M. N.*) *valore deſtituitur.* Ex dictis patet

I. Quod utraque propoſitio, cui argumenta Pluraliſtarum innituntur (§ 16. II) ab Egoiſta recte et ex ipſis a Pluraliſta conceſſis principiis (§. 16. IV.) infringi queat. Propoſitio D namque, quae fundamentum prioris (E. F. G.) eſt, (haec nimirum, Praeter eas ſubſtantias materiales quae a me appercipiuntur, dantur plures aliae quae non a me, i. e. ab aliis, appercipiuntur) non eſt probata. Nec probata eſt Propoſitio K (quidquid de corpore organico meo valet, valet etiam de aliis), quae poſterioris (L. M. N.) eſt fundamentum. Vides hinc quod argumentum ab analogia ductum ad ridicula referat Egoiſta.

II. Quod priori argumento (E. F. G.), ſi etiam legitimum concederetur, hanc tamen tantummodo Pluraliſta eviciſſet propoſitionem : Praeter me exiſtunt alia entia cogitantia. Quod haec vero praeter ſe exiſtentia entia, ſint finita, quod ſint ſpiritus, quod ſint animae humanae ; exinde non immediate ſequitur.

§. 25.

§. 25.

Egoiſta duplicem habet adverſarium, NonIdealiſtam et Pluraliſtam. Prior contra argumentum (§. 17.) propoſitum regerere poteſt ſequentia. I. *Propoſitio B* eatenus tantum vera eſt, quod ope ſolius experientiae externae, non accedente nimirum iudicii et rationis operatione, nemo extra ſe exiſtere alios ſpiritus finitos cognoſcat. Experientiam vero ſuppeditare, quae, ſi in auxilium adhibentur aliae veritates uſusque rationis et iudicii, ad evincendam aliorum ſpirituum finitorum, animarum ſaltem humanarum, realitatem ducunt, negari nequit. II. *Propoſitio C* neganda eſt ſimpliciter. Rationem enim, praeter animam meam exiſtere alias hominum animas brutorumque, docere affirmo; licet hoc loco fuſius non probem. Interim nec probetur hoc loco neceſſe. Sufficit monuiſſe, quod nec Egoiſta probaverit theſin B; quodque eo ipſo, quod fundamentum Idealiſmi everſum ſit (everſa autem ſunt argumenta Idealiſmum fulcientia §. 18 - 23.), falſitas huius propoſitionis ſit ſtabilita (§. 17. II.). Plura non addo. III. *Propoſitio D*, neganda eſt ſimpliciter; id quod vero itidem hoc loco non probo. Sufficit enim, quod Egoiſta ſcripturam ſacram deciſive negare exiſtentiam aliorum ſpirituum finitorum, aſſerere non poſſit. *IV. Falſa igitur eſt Propoſitio Maior F. Atque hinc falſa eſt concluſio H.* Quae etiam ſi vera concederetur: tamen non Egoiſmum ſtabilire dicenda eſt. Nam ponamus nec ſenſus nec rationem nec fidem docere, deciſive affirmandam eſſe exiſtentiam aliorum ſpirituum finitorum. Num ideo eamdem deciſive negandam docent? (a) *Recte igitur, everſo Egoiſmi fundamento ipſum reiicit Egoiſmum NonIdealiſta* (§. 17. II.). Sed longe aliter ſeſe res habet cum altero adverſario, nimirum Pluraliſta. Hic, ideo quia eſt Idealiſta, I. negare nequit Propoſitionem B. Num enim is, qui ſenſus generaliter fallaces eſſe habendos aſſumit, viſum auditum tactumque aliorum cogitantium finitorum exiſtentiam docere aſſumere poteſt? II. Negare nequit Propoſitionem C. Hanc enim num poterit reiicere, dum ratiocinia ſua propria, quibus pluralitatem cogitantium finitorum demonſtratum ivit, contra Egoiſtam defendere, et alia quae maioris eſſent ponderis, adducere nequit (§. 24. I.)? III. Nec Propoſitionem D infringere valet; poſteaquam ſcripturam Sacram ſeſe ad captum vulgi in proponendis aſſertis res naturaliter cognoſcibiles ſpectanti-

ſtantibus accommodare aſſumit ipſe. (§.7. I. §. 14. Prop A.) IV. Sic nec Propoſitionem E reiicere poteſt (§. 16. IV.) *Atque hinc Pluraliſtam, quia et quamdiu eſt Idealiſta, rationes Egoiſtarum refutare non poſſe eſt manifeſtiſſimum.*

§. 26.

Facillimum nunc, ut id quod rubrum et ſcopus huius tractationis exigit, nimirum, *Idealiſmum Fundamento deſtitutum* eſſe, evincam. Idealiſmum enim fundamento deſtitutum ſalutari poſſe, ſi argumenta in eius ſtabilimen allata, ſub examen vocata, nullius momenti eſſe deprehenduntur, ſtabilivit (§us. 15. I.) Argumenta vero ab Idealiſtis formata ſufficiente reſponſione ſoluta eſſe, docebunt (§§. 18-22). Atque ſic veritas aſſerti in dubium vocari; ſic realitas corporum extradealis ab Idealiſtis deciſive negari amplius nequit!

§. 27.

Realem corporum et extraidealem exiſtentiam hactenus ſtabilire contra Idealiſtas eum in modum ſtudui, ut eorum ratiocinationes, vi quarum ſeſe ad deciſive neganda corpora coactos dicebant, infringerem; eosque adeo, remotis negandi et dubitandi rationibus, ad deciſive corporum realitatem rurſus affirmandam obligatos eſſe oſtenderem. Nunc alia quadam via ad eamdem pertingere metam intendo, corporumque exiſtentiam extraidealem evincere brevi meditatione periculum faciam. Qua in re ſi mihi forſitan contingeret, quod aliis me acutioribus Viris, corporum exiſtentiam ex fide (a), ex veracitate Dei (b), ex maiore mundi perfectione corpora exigente (c), ex manifeſtatione gloriae divinae (d), ex conceſſis quibusdam (e), aut alia ratione (f) demonſtrare tentantibus evenit, nimirum ut eorum argumentationes reiiciantur ab Idealiſtis facilius quam ab iis ſunt formatae: oſtendiſſe tamen in antecedentibus, quod Idealiſmus fundamento deſtituatur, nec realitatem corporum extraidealem vi argumentorum ab Idealiſtis adductorum deciſive negari poſſe, ero contentus.

SCHOL. (a) Neque ſenſus neque rationem principia ſuppeditare, ex quibus corpora exiſtere queat commonſtrari, ſed ſolam ſcripturam Sacram de eo conuincere poſſe, arbitratur Malebranchius in Illuſtrationibus in Librum de Inquirenda Veritate „*Certe*, inquiens, *ſola fides poteſt nos convincere de reali corporum exiſtentia. Accurata demonſtratio haberi nequit ullius entis, niſi entis neceſſario exiſtentis etc.*„ Sed quid Idealiſta reſpondeat, vidimus §. 14. Quin, auctoritatem ſcripturae Sacrae divinam ſuppo-

nere

nere iam realitatem mundi materialis extraidealem asserit, quia innititur rebus miraculosis in mundo materiali factis; adeoque principii petitionem et circulum in demonstrando eum committere dicit, qui corpora extraidealiter existere ex scriptura demonstrare intendit.

SCHOL (b) Quidam sequenti argumento contra Idealistas pugnarunt. Si corpora quae sensibus percipiuntur, non vere et realiter extra animas existunt: decipimur a Deo. (Indidit enim nobis mentem, corpora sibi repraesentantem, ac si vere et realiter extra nos existerent; adeoque nos falleret, si quorum repraesentationes habemus, obiecta non realiter extra mentem adessent). Jam falsum est posterius. Ergo falsum est prius. Idealista autem negando consequentiam maioris, respondet. Quod si, ait, Deus non dicendus est deceptor, ideo quia nobis indidit mentem, quae sibi solem currere repraesentat, aut baculum integrum in aqua stantem intuetur fractum, aut spectrum se oculis apertis videre cogitat quod tamen non est nisi phantasma imaginationis: neque nos decipere asseri potest ideo, quia nobis dedit mentem quae sibi repraesentat mundum corporeum extraidealiter existentem, licet non extraidealiter existat, sed tantum sit phaenomenon.

SCHOL. (c) Cel. *Gottschedius* invenit argumentum hoc loco notandum (in Annotationibus ad Bayle Dictionaire Critique, ad articulum, Zeno, pag. m. 550, *Ich will doch bey dieser Gelegenheit*, inquiens, *erinnern, daß ich bereits vor zwantzig Iahren einen Beweis von dem Daseyn der Körper aufgesetzt - - - Ich beweise daß ein Weltgebäude, welches aus Geistern und Körpern zugleich bestehet, und folglich eine weit grössere Ordnung und Harmonie in sich hat als eine blosse idealistische Welt viel vollkommner, als eine Welt darin lauter Geister seyn würden. Ich habe aber noch nicht Zeit gehabt* (dolendum sane!) *diesem Beweise die gehörige überzeugende Form zu geben. Vielleicht findet sich sonst iemand der diesen Entwurff ausführet, wie ich ihn den schon mündlich vielmals gesprächsweise andern in der Absicht mittgetheilet, damit ihn irgend ein guter Kopf in das gehörige Licht setze*); quod in amico quodam colloquio forsitan ab eo acceptum arripuit Perill. Wolffius (huic enim nonne ingenium sagax atque docile concessit natura?) et systemati suo interspersit (Vid Ont. Lat. §. 519. 520. Cosmol. L. 551-522. Theol N.P. II. §. 644); quodque dein a Wolffio rursus traditum, sic proferre solent alii,

Mundus in quo plura obseruabilia, est perfectior mundo in quo pauciora. Nam ubi maior observabilium numerus, ibi maior consensus, perfectio, ordo. Ont §. 520. Cosm. §. 552.

Iam, Mundus in quo sunt corpora extraidealiter et realiter existentia, est mundus in quo plura observabilia, quam in mundo in quo non nisi soli existerent spiritus finiti.

Ergo Mundus in quo corpora, est perfectior.

Deus, dum creavit hunc mundum, creavit perfectiorem.

Ergo

Ergo, Deus creavit hunc mundum cum corporibus extraidealiter existentibus.

Ergo, Corpora realiter et extraidealiter existunt.

Vos autem, regeret Idealista, qui a Perill. Philosopho, Mundum in quo plura observabilia perfectiorem esse didicistis, ab eodem discite quoque, quod hoc tantum, sit cum restrictione et limitatione verum. Nimirum, Mundus in quo plura observabilia, perfectior asseritur, si per plura observabilia plures obtinentur fines; *mundus* autem, *in quo plura observabilia, erit imperfectior, eo in quo sunt pauciora, si per pauciora, idem finis et aeque commode obtinetur*; id quod disertis asserit verbis Metaph. Germ. §. 714. 715. Cosm. Lat. §. 552. sch. Discite porro a Perill. Philosopho, quod finis mundi, nimirum gloria Dei entibus rationalibus praesertim hominibus manifestanda (Theol. Nat. P. I. §. 608. 609. 610. sqq.), etiam absque ut corpora extraidealiter existant, actu obtineatur (quia corpora, vi principiorum Perill. Philosophi, prorsus non sunt medium ad huncce finem, Vid. §. 13. sch. c); quodque adeo *per mundum in quo sunt pauciora, nimirum soli spiritus finiti, idem finis obtineatur ac per mundum in quo essent plura, nimirum spiritus et corpora simul.* Discite hinc, quod vi principiorum Perillustris Philosophi, *hicce mundus, si in eo essent* plura observabilia, nimirum spiritus et *corpora, esset imperfectior*; quod igitur, quia deus perfectiorem mundum creavit (per hypothesin), mundus hic creatus sit absque corporibus realiter existentibus. Atque sic discite a Perill. Philosopho *quod corpora non realiter existant et extraidealiter.*

SCHOL. (d) His annumerandus Perill. Wolffius, qui Th. Nat. P. II. §. 644. corpora realiter extra animas existere eum in modum probat. Stabilit nimirum hasce propositiones,

A. Corpora, extraidealiter existentia, sunt possibilia §. 642.

B. Finis Creationis huius universi exigit realem corporum existentiam extra animarum ideas. Nam

Finis Creationis exigit manifestationem gloriae divinae (i.e. exigit ut creaturae rationales, praesertim homines, agnoscant perfectiones Dei absolute summas, Theol. Nat. P. I. §. 610.); idque unice exigit, respectu scilicet creaturarum, Theol. Nat. P. I. §. 629. sch.

Ergo, Finis creationis exigit medium ad manifestandam gloriam, i. e. ad patefaciendam summam intellectus et voluntatis perfectionem atque magnitudinem. Th. N I. §. 624. sch.

Iam, productio corporum ex quibus mundus corporeus constat (praeter productionem animarum, in quibus mundus corporeus sive aspectabilis idealiter existit, Psych. Rat. 192.), est medium ad huncce finem.

Ergo, Finis creationis exigit realem et extraidealem corporum existentiam.

C. Ergo, corpora realiter extra ideas animarum existunt.

Quae ſi in formam rediguntur: ſequens inde oritur argumentum.

Si corpora extraidealiter exiſtentia ſunt poſſibilia; et finis creationis realem corporum extra ideas animarum exiſtentiam exigit: ſequitur, ut corpora realiter extra animas exiſtant.

Repugnat enim voluntati velle finem, et nolle media, quibus eum certo et ex aſſe aſſequeris, niſi impedimentum quoddam adiiciatur. Theol. Nat P.I. § 625. ſch.

Verum eſt prius. (per prop. A. B.). Adeoque verum eſt poſterius.

Contra hancce autem Perill. Philoſophi demonſtrationem Idealiſta reſpondebit ſequentia I. Concluſio C, ſive realitas corporum extraidealis, ſupponit α) veritatem propoſitionis A, ſive poſſibilitatem corporum. Poſſibilitas corporum rurſus ſupponit poſſibilitatem elementorum ſeorſim ſpectatorum, et aggregationis eorumdem. Vid. Demonſtr. §. 642. Theol. Nat. P. II. (Conf. §. 20. huius Diſſert. ſchol. a). β) veritatem propoſitionis B, id eſt, aptitudinem corporum, ut ſint medium ad finem creationis, gloriam ſcilicet divinam hominibus manifeſtandam. II. Quod ſi igitur Perill. Philoſophus non evicerit α) poſſibilitatem elementorum, eorumque aggregationis, β) aptitudinem corporum, ut ſint medium ad manifeſtationem gloriae divinae: non etiam, quod corpora realiter extra animas exiſtant, eviciſſe dicendus eſſet. III. Iam utrumque non ſtabilivit, nec ſalvo ſyſtemate ſtabilire poteſt. (Vid §. 20. ſch. c. § 13 ſch. c). IV. Adeoque nec hoc §o. 644. Th. N. P.I. realitatem corporum extraidealem comprobavit. Id quod etiam ſequenti adhuc ratione patet;

§us 644 Theol N. P. II. ſupponit §um 642. ibid., i. e. corporum realitas extraidealis, in ſyſtemate Perill. Philoſophi, ſupponit poſſibilitatem corporum.

§us 642. Th. N. P. II. ſupponit §. 221, ſive potius 220, Coſmol., i. e. poſſibilitas corporum, in ſyſtemate Perill. Philoſophi, ſupponit poſſibilitatem aggregationis elementorum.

§us 221., ſive potius 220, Coſmol., ſupponit §§. 49 51 52. 53. ſq. Coſm., i. e. poſſibilitas aggregationis elementorum in ſyſtemate Perill. Philoſophi ſupponit corporum actualitatem ex experientia aſſumtam (Vid §. 20. ſch. a. nota 3.)

Ergo, Realitas corporum, contra Idealiſtas §. 644. Theol. N. P. I. demonſtrata, ſupponit in ſyſtemate Perill. Philoſophi, Realitatem corporum ex experientia aſſumtam.

SCHOL. (e) Cel. Carpovius in Diſſ. *Idealiſmus ex conceſſis explosus*, eum in modum refutavit Idealiſtas; ut primo Egoiſtas cogere tentet Pluraliſmum amplecti; Pluraliſtas deinceps realitatem corporum aſſumere adigat. Contra illos duplex format argumentum. Primum § 39. Diſſ. cit. ſic ſe habet,

A. Ego-

A. Egoiſta concedit, quod anima ſua exiſtat, unita arctiſſime cum corpore ſuo imaginario et ideali.

B. Concedit, quale ſibi repraeſentat corpus ſuum, talia ſe ſibi repraeſentare innumera alia ſuo ſimilia.

C. Concedit igitur, quidquid de corpore ſuo valet, valere de reliquis ſuo ſimilibus; hinc, prouti corpori ſuo imaginario mentem iunctam eſſe agnoſcit, ſic etiam fieri poſſe, ut et hiſce inexiſtant mentes.

D. Iam, cur ſoli corpori ſuo, non autem reliquis ſuo ſimilibus, adiungat animam, ratio eſt nulla.

E. Ergo, quemadmodum ſuo, ſic et reliquis, animam inexiſtentem (niſi absque ratione aliquid aſſumere velit) tribuere eſt coactus.

F. Atque ſic ex Egoiſta factus eſt Pluraliſta!

Huic ab analogia ducto argumento addidit alterum, Diſſ. cit. § 40. 41. 42.

G. Egoiſta concedit dari Deum (id quod fuſius demonſtratur).

H. Ergo, concedit finem Dei ultimum eſſe manifeſtationem perfectionum ſuarum tam ampliandam quam fieri unquam poteſt, (Quisquis enim Deum agnoſcit, hocce concedat non poteſt non); et manifeſtationem hanc fieri poſſe ſolis ſpiritibus.

I. Iam, quo maior eſt ſpirituum finitorum copia, tanta ſcilicet quanta fieri commode poteſt, eo amplior eſt perfectionum Dei manifeſtatio; quo minor copia, eo anguſtior manifeſtatio.

K. Ergo, concedit finem Dei ultimum, maiorem et ampliorem ſpirituum finitorum copiam (tantam ſcilicet quanta commode exiſtere poteſt) poſtulare.

L. Fallitur ergo Egoiſta, ſuae tantum animae exiſtentiam concedens, nec poteſt eam, niſi iniurius eſſe in Deum velit, aliis ſpiritibus denegare.

Pluraliſtas autem duplici itidem argumento ad anguſtias redegit, quorum prius tantum §. 43. 44. 45. Diſſ. cit. exhibitum adducam, quia alterum eiusdem eſt tenoris atque ponderis.

M. Pluraliſta concedit, extra ſe et extra ideas animae ſuae exiſtere realiter plures ſpiritus finitos; idque *unice ex hac ratione*, quia eos ſibi ut extra ſe exiſtentes repraeſentat.

N. Concedit igitur (nam concluſio data, cum Medio Termino, continet integrum ſyllogiſmum, per princ. Logica) hancce propoſitionem Maiorem; Quidquid mihi repraeſento ut extra me i. e. extraidealiter exiſtens, id exiſtit etiam realiter extra me.

O. Concedere igitur coactus eſt, huic Maiori ſubſumi poſſe: Atqui, Corpora a me diverſa repraeſento mihi ut extra me.

F. Concedat itaque neceſſe eſt concluſionem: Corpora a me diverſa exiſtunt extra me.

Verum enim vero varia ſunt monenda. I. *Argumentatio prima* (A. B. C. D. E.) eſt eadem, quam (§. 16. Prop. H. I. K. L. M. N.) adduxi. Quid itaque Egoiſta ad hocce argumentum ab analogia petitum reſpondeat, et quod

 illud

illud ad ridicula et vi probandi prorſus deſtituta referat, patet ex (§. 24.). Speciatim, quando Propoſitione D. aſſeritur, quod Egoiſta nullam habeat ſolius animae ſuae exiſtentiam affirmandi rationem: hocce absque omni probatione, quaſi vero eſſet axioma, adſtruitur; quum tamen Egoiſta habeat rationes, quas ſaltem Pluraliſta ſolvere poterit nunquam (§. 17. 25.). II. *Argumentatio ſecunda* peccat tam in materia quam in forma. Prius, brevitatis cauſa et quia ex prima propoſitionis H. et I. intuitione iam patet, non ulterius explanare lubet. (Obiter notandum, quod Propoſitio H, ſpectata in ſe et extra nexum et prouti iacet, ſit vera; ſed in applicatione et prouti propoſitio ſequens ex eadem deducitur, ſit falſa et pertineat ad artificia heuriſtica, quibus abundat recentiorum quorumdam Philoſophia, quorum ope omnia quae velint unquam, demonſtrare poſſunt (Vid. §. 22. ſchol. a.). Poſterius autem exinde manifeſtum eſt, quod ſi forma huius argumentationis rite ſe habere aſſumatur, quodvis ope ſimilis demonſtrationis evincere facillimum ſit, e.g. Angelos inſtar hominum praeditos eſſe facultate ſui ſimiles generandi, genus humanum in infinitum ſe propagaturum, PraeAdamitas exſtitiſſe, et mille alia eiusmodi. Faciamus periculum!

Qui PraeAdamitas non ſtatuit, et ante Adamum retro fere usque in infinitum exſtitiſſe, iam homines; et in infinitum genus humanum in poſterum ſeſe propagaturum, negat, ille tamen,

Concedit dari Deum (per Prop. G. Alias enim in numero atheorum deteſtabili nomen ſuum profiteatur neceſſe eſt, Vid. Diſſ. Carpov. §. 40. in fine.),

Ergo concedit (per Prop. H.) finem Dei ultimum eſſe manifeſtandam gloriam ſuam ſpiritibus finitis tanta in amplitudine, quanta unquam commode fieri poteſt.

Iam, (per Prop. I.) quo plures ſunt ſpíritus finiti, eo amplior eſt perfectionum Dei manifeſtatio (Conf. Diſſ. Carpov. §. 41.).

Ergo concedit (per Prop. K) finem Dei ultimum maiorem et ampliorem quin maximam ſpirituum copiam, prout ſcilicet commode fieri poteſt, poſtulare.

Si ante Adamum homines exſtiterunt retro usque fere in infinitum; et in poſterum exſtituri ſunt usque in infinitum: amplior certe erit ſpirituum finitorum copia; anguſtior autem, ſi contrarium aſſumitur.

Fallitur ergo, qui PraeAdamitas non ſtatuit et iniurius in Deum (at quantum ſcelus!) eſt aſſumendus.

Quod ſi forſitan diceretur, attendendum eſſe ad verba in Diſſ. Carpov. §. 41. poſita, *quanta commode h. e. omnibus reliquis ſpectatis ſimul eſſe potuit*; atque nunc probandum, quod PraeAdamitae etiam pertineant ad eam ſpirituum copiam, quanta commode h. e. omnibus reliquis ſpectatis ſimul eſſe potuit; Reſpondendum, Egoiſtam quoque poſtulare probationem eius

quod

quod pluralitas animarum pertineat ad eam ſpirituum copiam, quanta commode ſimul eſſe poteſt. III. *Tertium argumentum*, quo refutatur Pluraliſmus, innititur propoſitioni M, quod Pluraliſta concedat plures extra ſe exiſtere ſpiritus, *non alia ex ratione*, quia eos ſibi repraeſentat ut extra ſe. Eidemque propſitioni M innititur ultimato tota Diſſertatio Idealiſmum ex conceſſis explodens. An vero hocce principium aſſumat Pluraliſta, an igitur ex eo ceu conceſſo everti poſſit Idealiſmus, patet ex (§. 16. III.).

§. 28.

Ex antea dictis aſſumo quod *nemo unquam probare queat, impoſſibile eſſe ut corpus ſuum organicum quod arctiſſime ſibi praeſens ſemper et coniunctum animadvertit, reliquaque ex quibus mundus aſpectabilis conſtat corpora, extraidealiter exiſtant.* Dum enim in antecedentibus (§. 20. 21,), quae ad impoſſibilitatem rerum materialium extra ideas animarum exiſtentium evincendam adducebantur argumenta infregi: everſo impoſſibilitatis huius fundamento impoſſibilitatem ruere ipſam, adeoque non amplius a quodam, niſi alia adhuc maioris ponderis argumenta adduxerit, aſſeri cum ratione poſſe affirmo.

§. 29.

Quod, quae corpora extraidealiter exiſtere affirmat, ſententia variis oppugnetur difficultatibus, nemo eſt qui Idealiſtis id pronuntiantibus neget. Interim *eas* tamen, *quae oppoſitam et corpora negantem hypotheſin premunt, multo graviores atque indiſſolubiles eſſe defendo.* Priores enim (ad quas referendae ſunt Idealiſtarum obiectiones, e. g. quod poſita extraideali corporum realitate aſſumenda ſit materiae diviſibilitas in infinitum, inexplicabilis ſit communicatio vis motricis ex uno corpore in aliud tranſeuntis, inconceptibilis maneat modus quo anima mediante corpore cogitationes de mundo materiali accipiat, indiſſolubilis ſit contentio de materia ab aeterno et per eſſentiam exiſtente, et quae forſitan ſuperſunt) omnes omnino ita comparatae ſunt, ut petitionibus principii aut axiomatibus male intellectis atque applicatis innixae facili opere queant ſolvi. Id quod vero hoc loco fuſius probare ſcriptionis praeſentis prohibent limites. Eadem ratione commotus attingo tantum, quae negata corporum exiſtentia extraideali oriuntur difficultates; nimirum, quod Idealiſta omnis (ſi eſt Egoiſta, vid. §. ſq. 33.) ſe quotidie oriri atque interire iterum ſtatuere teneatur

tur (a); quod explicare nequeat discrimen fere essentiale cogitationum, a NonIdealista Sensationes et Imaginationes dictarum (b); quod rationem reddere nequeat, unde fiat ut a nativitate coeco deficiant prorsus ideae rerum ope visus sensibilium, aut oculorum acie orbato rursus in posterum prorsus non amplius dictae ideae obversentur (c); quod permultas sane cogitationes ceu fruſtraneas adsumere sit adactus (d); ut plures silentio praeteream. Quas omnes, quia, prouti iam dictum, brevitatis studium iubet, et, quod magis est, quia non solum Idealismum sed praesertim quoque Systema Harmoniae Praestabilitae feriunt, nunc tantummodo recenseo, ulteriorem harum quae utramque partem premunt difficultatum discussionem in aliud differens tempus.

SCHOL. (a) Unumquemque, simulac sensuum fallaciam tuto non nisi generalem haberi posse adsumit, hocce etiam assumere adactum esse; exemplo suo Cartesius, omnium Idealistarum huius seculi pater, comprobat, qui dum sese in dubitationis statu adhuc constitutum fingit „*ego sum*, inquit, *ego existo, certum est. Quamdiu autem? nempe quamdiu cogito; nam forte etiam fieri posset, si cessarem ab omni cogitatione, ut illico totus desinerem*„. *Meditat. de Philos. Prim. Med Secund.*

SCHOL. (b) Idealistae, Sensationum et Phantasmatum discrimen admittentes, illud ponere solent in maiori et minori claritatis gradu. Cogirationes, dicunt, quae a NonIdealistis Sensationes appellantur, sunt cogitationes clariorem et vividiorem rei imaginem exhibentes et non in nostra potestate positae; quae vero ab iis appellantur Phantasmata Imaginationis, sunt tales quae res obscurius repraesentant et quas pro lubitu variare possumus. Verum, sensationum et phantasmatum discrimen non poni posse in maiori et minori repraesentationum claritate, exinde patet, quia interdum phantasmata dantur ipsas sensationes claritate superantia.

SCHOL (c) Quaesiti Idealistae, unde eveniat ut coeco a nativitate non insint ideae colorum aut aliarum qualitatum visu sensibilium, statim confugere solent vel ad Deum, qui eiusmodi ideas animae imprimere non voluerit; vel ad ipsam animam cui vim eiusmodi ideas in semet producenda deficere dicunt. Ultimam responsionem arripuit Cartesius a Gassendo sollicitatus „*Caecus natus*, inquiens, *non habet ideas colorum, quia eius mens facultate illas formandi est destituta - . Idcirco non videt, quia mens eius caret facultate videndi, non quia non habet oculos; quos tametsi haberet optime dispositos, nihilotamen minus videret*„. *Vid. Gassendi Disquis. Metaph pag.* 111. 112. Verum sic in reddenda naturalium ratione recurritur statim et sine ulteriori disquisitione ad voluntatem Dei, aut vim animae; quum tamen id fiat praeter necessitatem, et alia adhuc allegari possit explicatio magis naturalis atque conceptibilis, quaeque ab iis qui ad voluntatem Dei aut vim

rerum

rerum inſitam ſemper provocant, reiici hactenus non potuit. Id quod merito Philoſophiam pigrorum abſolvere eſt dicendum.

SCHOL. (d) Hoc et alia ſilentio praeterire liceat.

§. 30.

Meram de veritate rei alicuius convictionem intrinſecam, licet talis eſſet quae irrefragabili tractu conſenſum extorqueat mentis, rei ſtatim ipſam conciliare veritatem, quis eſt qui affirmabit? Hoc enim pacto, ſi verum eſſe aliquid dicis ideo, quia urgentem ſentis et inſuperabilem de veritate eius convictionem intimam: concedere etiam adigeris hocce aſſertum: Id de cuius veritate quis prorſus eſt convictiſſimus, eſt verum! Atque nunc, hocce generaliter aſſumto, ſpectris quae anus propriis ſuis oculis vident, quis denegabit realitatem? ſunt enim de iis convictiſſimae ad iuramentum et martyrium usque. (Ecquid etiam exiſtit unquam, ſi non exiſtat, quod exiſtere apertis oculis vident homines piae atque fideles!). Interim, ſi ad convictionem, quam de veritate rei cuiusdam habes, aliae quaedam accedunt rationes praegnantes (utinam edoceremur, quaenam ſint hae rationes praegnantes et quibus cognoſcantur criteriis! (a)): convictionem ad rei veritatem pondus aliquod adiicere affirmo. Quidquid ſit: *eadem prorſus* (ſimilique ut ovum ovo) *convictione*, *qua quis ſe exiſtere qua ens cogitans cognoſcit*, *cognoſcit etiam* (antea quam, quem natura de nongenerali ſenſuum fallacia convictum formaverat, ars de generali reddidit convictiſſimum) *corpus ſuum organicum reliquaque ex quibus mundus aſpectabilis conſtat corpora*, *exiſtere extraidealiter*. Quaerat ex ſemetipſo Idealiſta. Si ingenuus eſt, veritatem aſſerti concedit.

SCHOL (a) Hoc Scepticorum eſt epiphonema. Omnis quam late patet, aiunt, humanae cognitionis fundamentum eſt conſcientia cuiuslibet de ſui ipſius exiſtentia, teſtimonium ſenſuum ſive experientia interna et externa et primorum quorundam propoſitionum per ſe patentium conplexus. Iam verum eſſe, quod ſui ipſius ſit conſcius, quod ſenſus internus et externus non fallat, quod principia illa prima non ſint falſa, nemo ex alia ratione ſtatuit niſi unice ex ea, quia de eorum veritate eſt convictiſſimus. Atque ſic eſt convictus vera haec eſſe, quia haec eſſe vera eſt convictus! Sic omne, de cuius veritate quis eſt convictus, eſt verum! *Sed* (ut epiphonemate utar, quo Cel. Canzius Ont. Polem. § 34. eiusmodi ratiunculas ſolide refutavit et unico ictu truncavit feliciter), *Scepticorum certe ea mens eſt, non hominum rite ſentientium!*

SCHOL

SCHOL. (b) *Quod* dentur caſus ſingulares in quibus aliquid verum eſſe ſcimus non alia ex ratione quam quia verum eſſe convicti ſumus, et in quibus a convictione de veritate rei ad ipſam rei veritatem tuto concluditur, negari nequit, e. g. verum eſſe, me mei mihi eſſe conſcium, alia ex ratione non cognoſco, quam quia hoc verum eſſe ſum convictus. *Quod* autem et quam plurimi dentur in contrarium caſus, in quibus admodum male a convictione ad veritatem ipſam infertur, maxime ridicula pariter quam triſtiſſima quoque edocent exempla. Nonne infelicium permulti huic argumentationi debent, ut vitam finire rogo debuerint? Multum igitur intereſt (cognitionem enim humanam ultimato inniti eiusmodi principiis, quae vera eſſe non alia ex ratione ſcimus atque aſſerimus, quam quia vera eſſe convicti ſumus, Scepticis concedatur oportet,) ſcire, quibusnam in caſibus quis tuto concludere queat „Convictus ſum verum eſſe, Ergo eſt verum!„ Hocce docere atque ſuppeditare criteria quorum ope, an in caſu ſingulari de convictione ad veritatem valeat conſequentia, an non, diſcernere poſſemus, eſſet labor Philoſophorum Principes et totius generis humani Doctores decens. Ex quo in eos, qui veritatem atque certitudinem quaerunt, plus emolumenti redundaret, ac ex eo quod de monadum, ſtupore, vi ſibi mundum repraeſentandi, evolutionibus et involutionibus, niſu et appetitu ad maiores perfectiones, et aliis myſteriis erudiuntur.

§. 31.

Omnis Idealiſta, quia eſt talis et corpora extraidealiter exiſtere negat, propriam ſui ipſius exiſtentiam in dubium incertumque vocare eſt coactus. Quia enim eſt Idealiſta: fallaciam ſenſuum tuto non niſi generalem aſſumendam eſſe, affirmet oportet. (Neget hocce: et ruit Idealiſmus! §. 15. II.) (a). Ergo, quod omnis animae facultas interdum et ſaepius fallens, generaliter fallax ſit a prudente aſſumenda, affirmare adigitur (b). (Neget hoc: et fallaciam ſenſuum non generalem eſſe habendam, adeoque ruere Idealiſmum, concedat oportet. §. 11. I. §. 19. I.). Hoc affirmato: (dum negari nequit, quod facultas iudicandi et ratiocinandi aeque frequenter nosmet decipiat, et falſum pro vero, pro Iunone Nubem amplecti ſuadens in errorem aeque ſaepius ducat, ac ſentiendi facultas ad caſus obvios applicata) quod etiam facultas iudicandi et ratiocinandi tuto non niſi generaliter deceptrix queat a cauto aſſumi (c) ſtatuat oportet. Quo autem ſtatuto: (dum quod generaliter decipiens et in omni caſu eſt aſſumendum, etiam particulariter et in quolibet caſu individuali fallax haberi debet) affirmare

tenetur

tenetur, quod iudicium atque ratio etiam eo in casu (d), quo se sui ipsius conscium esse iudicat indeque se existere qua ens cogitans concludit, decipiens atque fallax a se, si cautus prudens certusque esse velit, debeat assumi. Quo affirmato, quin propriam sui existentiam in dubium vocet incertumque, num poterit evitare (e)?

SCHOL. (a) Praeter ea quae ad hancce firmandam propositionem adducta sunt §. 15. II. sequentia adhuc erunt consideranda. I, Omnis *Non-Idealista* (termino sic intellecto, ut opponatur Idealistae) *decisive affirmat, quod corpora, quae se* videre audire tangere et generatim *sensibus percipere cogitat* dicitque homo (sive, ut aliis verbis utar, quod corpora a sensibus repraesentata,) *realiter extra mentem existant*, nimirum in particularibus saltem casibus; adeoque, *quod homo, quando se sentire* corpora *cogitat* dicitque, *generaliter non fallatur* et eatenus, ut corpora quae sensibus suis repraesentari cogitat, vel prorsus non vel talia non, qualia sibi repraesentari cogitat, extra se adessent, (sive ut aliis verbis utar, *quod fallacia sensuum generalis non sit*, sensusque repraesentent corpora, quae et qualia extraidealiter nunquam existant). Hocce affirmat NonIdealista qua talis; definit esse NonIdealista, si hocce affirmare definit; quin, desinere nequit NonIdealista, nisi hocce negare incipiat. 2. Omnis *Idealista definit esse NonIdealista*, (quilibet hominum enim naturaliter est NonIdealista, et NonScepticus respectu extraidealis corporum realitatis; et nemo fieri potest Idealista, nisi antea fuerit NonIdealista, nisique, excepto quod coeco agitatus sit impetu et ridiculo nova inconsiderate amplectendi pruritu, argumentis quibus realitatem corporum destrui putabat sit commotus, Conf. §. 11. I.); *et qua talis amplectitur sententiam e diametro oppositam ei, quam qua NonIdealista tuebatur.* Esse nequit Idealista, nisi decisive neget, quod qua NonIdealista affirmavit. 3. *Hinc, omnis Idealista* (quocumque modo et quibus etiam argumentis talis sit factus), *decisive neget necesse est, quod corpora, quae se sensibus percipere cogitat dicitque* (se enim videre audire odorari gustare palpare, generatim se sensus habere externos quorum ope appercipit corpora, dissertis concedit verbis Idealista, Conf. §. 3.; licet tantum, si mentem eius spectas, se cogitare quod videat audiat odoretur gustet palpetque corpora et generatim habeat sensus externos, concedat,) *realiter extra mentem existant, eoque negato affirmet necesse est, se* et hominem quemvis, *quando se sentire corpora cogitat, falli generaliter*, et eatenus, ut corpora quae se sentire cogitat, vel prorsus non, vel talia non, qualia repraesentantur, extraidealiter adsint, (sive, ut aliis verbis utar, affirmet necesse est, *fallaciam sensuum esse generalem*, sensusque externos repraesentare res quae et quales extra mentem non adsunt). Neget hominem, quando se sentire corpora cogitat dicitque, generaliter falli (*neget fallciam sensuum esse generalem*): *atque tunc*

Idealiſta eſſe nequit! Quod enim ſi neget: aſſumere debet vel cum Scepticis (reſpectu corporum talibus), dubitandum eſſe utrum homo, quando ſe corpora ſenſibus percipere cogitat, decipiatur an non; vel cum NonIdealiſtis, decitive affirmandum eſſe quod homo non fallatur, ſaltem in particulari. Quidquid eorum aſſumat: *ruit Idealiſmus*!

SCHOL. (b) Haecce propoſitio negari prorſus nequit. Qui enim mentem, *quando ſentit* (ſive, *quando facultatem ſentiendi exercet*) generaliter decipi ac errare ideo aſſerit, quia in ſentiendo interdum et ſaepius decepta eſt et erravit, (ſive, quia facultas ſentiendi exercita ſaepius et interdum fefellit); id eſt, qui haſce propoſitiones,

Facultas ſentiendi eſt facultas mentis interdum et ſaepius fallax.
Ergo, Facultas ſentiendi eſt generaliter fallax a cauto aſſumenda.

concedit: nonne aſſerere tenetur, mentem, quando cuiusvis generis cogitationem habet (ſive, quando quamvis facultatem exercet), quae eam interdum et ſaepius fefellit, generaliter decipi ac errare? id eſt, nonne etiam hanc propoſitionem,

Omnis facultas mentis interdum et ſaepius fallax eſt generaliter fallax a cauto aſſumenda.

concedere tenetur? Nonne enim poſita eadem ratione, ponendum eſt idem rationatum?

SCHOL. (c) Idealiſtam non ſenſus ſolum, ſed et rationem, aſſerere fallaces, ex diſertis eorum verbis conſtat. Berckeley in praefatione libri ſui, *Les ſens*, ait, *ſont trompeurs; la raiſon defectueuſe.*

SCHOL. (d) Obiicitur forſitan, huncce caſum ſaltem exceptum et extra dubitationis aleam poſitum eſſe, Quod ſi quis enim vel reliqua omnia in ſuſpenſo relinquat, ſi facultatem iudicandi et ratiocinandi generaliter fallacem a cauto eſſe aſſumendam concedat; de eo tamen iudicii et rationis actu, quo ſe ſui ſibi eſſe conſcium cogitat exindeque ſe exiſtere concludit, neminem dubitare; idque ideo, quia de utroque intima quam ſentit convictio quemlibet reddit convictiſſimum, ſic ut nulla remaneat animi fluctuatio. Reſpondeo, in ſe haec omnia veriſſima eſſe; non autem reſpective, i. e. ab Idealiſta non poſſe ceu vera aſſumi. Poſſe hominem, quod ſui ſibi ſit conſcius quodque igitur exiſtat, cum certitudine omnem dubitationem prorſus excludente ſcire et legitime probare exinde, quia de eo eſt convictus: concedo lubentiſſime. Poſſe vero Idealiſtam huncce concludendi modum adhibere, et probationem ex convictione interna deſumtam contra NonIdealiſtas urgere, nego; Poſſe NonIdealiſtam potius iure meritoque formam demonſtrationis imitari, et eodem modo, quo Idealiſta de corporum exiſtentia eſſe dubitandum (vid. ſchol. ſeq. bb) evincit, iure talionis, de Idealiſtae exiſtentia eſſe dubitandum evincere, affirmo. Qua enim menſura mènſurat Idealiſta, nonne legitime menſurabitur ipſimet eadem? Si Idealiſta id quod ſemel et ſæpius decipit,

ſemper

semper decipiens a cauto habendum esse, asserit; quidni asserere idem NonIdealistae fas esset? Ille si facultatem sentiendi ad actum ductam, generaliter fallacem a cauto esse assumendam defendit, ideo, quia interdum et saepius fallere deprehenditur: cur huic, facultatem iudicandi et ratiocinandi, ex eadem ratione quia interdum et saepius fallit, generaliter fallacem a cauto esse assumendam, pronuntiare nefas esset? Si ille ne unicum admittere vult casum, respectu facultatis sentiendi quo ei fides tuto haberi queat: quod hic quoque respectu facultatis iudicandi et ratiocinandi faciat idem, quid vetat? Et ille si respectu facultatis iudicandi et ratiocinandi unicum saltem casum excipit, et se in eo quod ipse existat non errare, dicit, ideo quia irrefragabilem sentit convictionem internam: quidni hic quoque respecta facultatis sentiendi unicum saltem casum excipere et se in eo quod corpora a se percepta extraidealiter existant non errare, dicere posset, ideo quia convictione prorsus simili (§. praec.), ut corpora extraidealiter existere credat adigitur?

SCHOL. (bb) Dum schol praec. Idealistam de corporum existentia esse dubitandum evincere tentare dixi: obiiceret quis forsitan ea, quae §. 5. I. asserui, scilicet, Idealistam decisive negare corporum existentiam, adeoque de eadem non dubitare. Verum, haec sibi non repugnare facile patet. Idealista, posteaquam talis est factus, decisive negat corpora. Fit autem talis etiam per argumenta, a fallacia sensuum deducta, et de fide sensuum adeoque de existentia corporum dubitandum esse docentia; quibus deinceps propagare Idealismum, i. e. dubitationem de existentia corporum in aliis excitare eosque ope dubitationis ad negationem corporum commovere, studet.

SCHOL. (e) Idem de eo dicendum, qui ex NonIdealista factus est ratione existentiae corporum Scepticus, et de eorum realitate extraideali dubitat. Hic enim, si ortum huius dubitationis spectas, aliam allegare nequit rationem, quam quod sensus corpora repraesentantes fallere saepius deprehendantur (§ 11. sch. a). Adeoque concedere tenetur, quod omnis animae facultas, quae saepius fallens deprehenditur, mereatur ut, utrum generaliter fallax sit an non, dubitetur (§. 19 sch. a.). Hoc autem concesso: quod etiam de facultate iudicandi et ratiocinandi in dubio relinquendum, an generaliter decipiat an non; negare nequit. Quo non negato: nec inficias ire poterit, quod de facultate iudicandi et ratiocinandi, in speciali hoc casu applicata, quo se sui sibi esse conscium iudicat indeque se existere infert, etiam sit dubitandum, utrum recte iudicet et ratiocinetur an non. Quod vero dum ipsi est in suspenso relinquendum: nonne de propria sui ipsius existentia dubitet necesse est?

§. 32.

Omnis Idealista, quia est talis, propriam sui ipsius existentiam negare tenetur. Omnis enim Idealista, qua talis assumit hocce assertum:

Ego exiſto tantum qua ens cogitans (ſive, quod idem, ego exiſto abſque corpore extraidealiter exiſtente; corpora enim realitatem extraidealem non habent §. 5). Ergo, qua talis aſſumit aſſertum, ex quo idem de eodem ſub eodem reſpectu affirmari ſimul et negari debere ſequitur, nimirum, Idealiſtam propriam ſui exiſtentiam in dubium vocare et non vocare eſſe coactum. (Eo enim ipſo et vi huius aſſerti, quo ſe exiſtere tantum qua ens cogitans adſtruit, propriam ſui ipſius exiſtentiam deciſive affirmat, §. 5. I. adeoque de ea prorſus non dubitare eſt coactus. Sed eo etiam ipſo, quo ſe tantum qua ens cogitans exiſtere defendit et corporum realitatem extraidealem negat: ſenſuum fallaciam tuto non niſi generalem eſſe habendam affirmat; adeoque de ſui ipſius exiſtentia prorſus dubitare eſt coactus, §. praec.). Ergo, qua talis aſſumit aſſertum, quod prorſus ab eo negandum; omne enim aſſertum, ex quo idem de eodem ſub eodem reſpectu affirmari et negari debere ſequitur, negandum eſſe Principium Contradictionis iubet. Ergo, qua talis, ſe exiſtere tantum qua ens cogitans negare tenetur. Ergo, dum Idealiſta, ſe tantum qua ens cogitans exiſtere negans, ſe prorſus exiſtere negat (§. 5. II.): qua talis (a) propriam ſui exiſtentiam neget neceſſe eſt.

SCHOL. (a) Accurate diſtinguendum eſt, inter id quod Idealiſta ſimul cum hypotheſi Idealiſtica, et id quod vi huius hypotheſeos et ſimul cum hypotheſi rite conſiderata et ad ſua ex quibus deducitur principia ſuasque quae ex ea ſequuntur conſequentias relata, affirmet vel neget. Conf. § 9. ſch. a. Fieri poteſt ut is, qui eſt Idealiſta, ſibi unum tantum ex hiſce duobus contradictorie oppoſitis, exiſtere et nonexiſtere, et quidem tantum τὸ exiſtere, competere affirmet; fieri enim poteſt, ut ipſe quae ex hypotheſi ſua ſequantur non perſpiciat. Ut autem Idealiſta, qua talis et vi hypotheſeos, utrumque ſibi ſimul competere affirmet, neceſſe eſt. Id quod ex §. 5. I; et ex hocce §. conſtat.

§. 33.

Omnis Idealiſta, quia eſt talis, Egoiſta ſit neceſſe eſt. Et quia eſt Egoiſta: exiſtentiam omnium omnino rerum finitarum negare tenetur; Dei exiſtentiam affirmare nequit; revelationem denique ſacram, veritatemque ideo religionis chriſtianae quin prorſus reiiciat non poteſt non. Per membra eundo I. Egoiſtam vi ſuae hypotheſeos omnium finitorum realitatem negare teneri, facile oſtendere poſſum. Nonne, quia eſt Egoiſta, realitatem mundi corporei, ſpirituumque finitorum negat (§. 9. II.)? Nonne, quia eſt Idealiſta, propriam ſui ipſius realitatem reii-

cere

cere est coactus (§. praec.)? Praeter corpora vero (ad quae bruta referuntur ab Idealistis, quippe quae ipsis non sunt nisi machinae), et spiritus finitos, et praeter suam ipsius mentem, num alia adhuc entia finita concipere poterit? II. Egoistam, vi suae hypotheseos, existentiam Dei prorsus non posse adsumere, manifestum est. Num qui sui ipsius existentiam negare, qui facultatem iudicandi et rationandi tuto non nisi generaliter fallacem esse habendam asserere, quia est Idealista, cogitur (§. praec. §. 31. Dem.), Deum existere salva hypothesi poterit? Multum abest. Egoista potius, si suae hypoteseos ad principia et consequentias relatae naturam intime habet cognitam atque perspectam, neque sensus neque rationem neque scripturam Sacram ipsum de existentia Dei convincere posse affirmabit (Conf. §. 17 Prop. E.). Sensus, dicet, dari Deum me non docent; fallunt enim generaliter; et etiamsi non fallere concederetur, Deum tamen nunquam vidi, nec audivi, nec alio sensu percepi. Ratio itidem non suppeditat argumenta existentiam Dei evincentia. Non quidem multa proferri, Deum esse, magnifice loquentia ratiocinia ignoro; verum et omnia omnino vim probandi non continere novi. e. g. Ex idea entis perfectissimi omnitudinem perfectionum compossibilium, adeoque et existentiam, includente Deum esse evinci scio. Verum, heus tu, qui Deum esse sic demonstras! Ecquis assumtam quandam realitatem, et speciatim existentiam, esse cum reliquarum omnitudine compossibilem te docuit? Num omnisapiens es, num omnitudinem perfectionum intime habes perspectam, num, quid ei repugnet quid non, intelligis? Intende nervos intellectus tui perfectissimi, et forsitan realitatem, quam primo intuitu cum reliquis compossibilem putas, notionum adaequatione per gradus decem, centum, mille etc. instituta cognosces reliquis repugnantem. In fumum itaque abire hocce argumentum cognosco. Ast fortassis aliud ratiocinium, alia tela immittis sequenti modo demonstrans meque alloquens. Anima tua, o Egoista! existit; et quia successioni cogitationum obnoxia est, est ens mutabile; adeoque, quia omne ens mutabile est contingens, est ens contingens; atque hinc, quia posito ente contingente ponendum est ens necessarium in existendo (per Principium Rationis Sufficientis), datur Deus. Q E. D. Verum enimvero meam audias responsionem brevem, nec succensere noli dicenti, quod tota tua Demonstratio consarcinata fere

ſit propoſitionibus, quae petitionem principii involvunt. Unicum afferam. Ecquis genius tibi revelavit, animam meam, quia eſt mutabilis quoad cogitationes adeoque contingens quoad ſtatus, eſſe contingentem quoad exiſtentiam? Probes, ſi poteris, animam meam initium in exiſtendo habere et creatam eſſe. Quid: ſi anima mea ante, uti aiunt, nativitatem iam ab aeterno vi eſſentiae exſtiterit, et tantum per vices modo hunc modo alium exiſtentiae ſtatum nanciſcatur. Ad calendas graecas contrarium demonſtrabis; adeoque et hocce argumentum eſſe nullius tenoris perſpicio. Idem de reliquis valet omnibus. Atque ſic dari Deum me non docet ratio. Quod Scriptura, quam dicunt Sacra in decidenda controverſia, an detur Deus an non, non competens ſit iudex, nemo mihi poterit negare. Sic Egoiſta vi hypotheſeos ſermocinari de exiſtentia Dei tenetur! III. Eundem vi hypotheſeos ſcripturae Sacrae divinam auctoritatem reiicere, non eſt ut probetur; qui enim mundum materialem et ſpiritualem ad phantaſmata relegat, num librum eventus in mundo materiali et ſpirituali factos, ceu tales qui extraidealiter contigerunt, narrantem ad entia realia relaturus erit? IV. Quemlibet vero Idealiſtarum, vi hypotheſeos, eſſe Egoiſtam debere quid facilius probatu? Omnis enim Idealiſta eſt vel Pluraliſta vel Egoiſta (§.7.II.). Pluraliſta, quia eſt Idealiſta, argumenta Pluraliſmum deſtruentia et Egoiſmum defendentia refutare nequit (§. 24.. I. §. 25.); adeoque, quia eſt Idealiſta et quamdiu talis, Egoiſta ſit neceſſe eſt (§.16. I.). Atque ſic veritas aſſerti patet.

SCHOL (a) Ex dictis plenius intelligi poterit, quid Egoiſta reſpectu obiectorum Philoſophiae, Dei, ipſius, aliorumque hominum et entium ſtatuat (Vid. §. 9. ſch. a.). Fieri nimirum poteſt, ut *is qui eſt Egoiſta, vim ſuae hypotheſeos, ad principia ex quibus deducitur et conſequentias ex ea fluentes relatae, ignorans*, alios homines, parentes, liberos, concives, conſideret ac ſi veram et extraidealem haberent exiſtentiam; ſe ipſum non ſolum quoad animam ſed et corpus exiſtere adſumat; Deum exiſtere et eſſe creatorem univerſi, conſervatorem providum, iudicem iuſtiſſimum bona remunerantem punientem mala aſſerat: ut officia erga alios homines, ſe ipſum, Deumque praeſtans ſit vir honeſtus, bonus homo paterfamilias civis, religioſus, quin chriſtianus: ut ſcientiarum quarum uſus in vitam privatam, domeſticam, civilem, religioſam redundat, ſtrenuus ſit cultor atque promotor. Fieri autem poſſe ut ſtante ſua hypotheſi hancce agat perſonam, negare veritas iubet *Egoiſta* enim, *vi hypotheſeos, ſi in eam intime penetret eique convenienter vivere et ſibimetipſi ſciens non contradicere velit*, alios homines

omnes

omnes aliter intueri nequit, ac nos respicimus eos quibuscum in insomniis claris atque vividis negotia miscemus. Hinc impossibile, ut si hypothesin suam menti obversantem semper habeat, officia erga alios homines explere serius studeret. Nonne, si iis, quos realiter non existere et nil nisi larvas, ideas, phantasmata, esse persuasus est atque convictissimus, officia praestare vellet, ridendus aeque esset, ac NonIdealista interdiu convivia parans lauta, ut amicos quos praeterita nocte somnians vidit invitavitque, splendide excipere queat? Seipsum existere certus esse nequit; multo minus existere Deum. Num igitur, quae sibi, quae Deo debet, observare habebit motiva?

SCHOL. (b) Quod de Egoista, idem de Idealista valere dicendum. Licet enim fieri possit, ut is qui est Idealista non sit Egoista; ut tamen vi hypotheseos non sit, impossibile esse arbitror. Adeoque licet fieri possit, ut *is qui est Idealista, vim hypotheseos* in nexu cum principiis et consequentiis spectatae *ignorans* vel insuper habens, sit vir honestus, civis moriger atque modestus, paterfamilias mansuetus ac providus, homo pius atque religiosus, scientiarum vitam hominum privatam domesticam civilem religiosam spectantium cultor: ut tamen *stante hypothesi* talis sit, fieri nequit. Vi enim hypotheseos, si eam rite intelligit et principiis quae fovet convenienter vivere vult, Idealista nec officia hominis, nec patrisfamilias, nec civis, nec religiosi explere motiva habet adeoque nec voluntatem. Id quod non eum in finem affirmo, ut Idealistarum hypothesin consequentiis onerando suspectam redderem atque exosam, sed ut scapham dicerem scapham. In palliandis enim et excusandis, qui adsunt, erroribus aeque reprehendendi sumus, ac in excogitandis et criminandis, ubi non adsunt. Quum itaque Perill. Wolffius Theol. Nat. Part II. §. 624. 625. scientias, cum corporum et mundi materialis consideratione occupatas, in hypothesi Idealistarum nil pati detrimenti arbitratur; aliam ea in re, quod pace Perill. Viri dixerim, sententiam fovere liceat. Fieri potest, ut is qui est Idealista, simul cum hypothesi sua, si vim eius ignorat aut insuper habet, mundum materialem, ac si vere et realiter extra mentem existeret, assumat et NonIdealistae instar omnia eius phaenomena concedat, adeoque exactissimus sit physicus, astronomus, medicus etc. Ut vero vi hypotheseos et stante hypothesi Idealistica talis esse nequeat, affirmo. Idem valere dicendum de eo, quod Perill. Philosophus §. 626. de scientia, cuius obiectum est anima, asserit. Fieri enim quidem potest ut is, qui est Idealista, realem animae suae existentiam extraidealem admittat; an vero rigore hypotheseos admittere idem queat, ex iam dictis patebit. Sic ad §. 627 635. concedo, fieri posse ut is qui est Idealista, Deum existere, creasse conservare gubernare mundum admittat; adeoque non sit atheus, nec Deista, nec Theologiam naturalem reiiciens. Quod vero stante sua hypothesi et vi eiusdem hoc admittat, admittat scilicet Deum, creatorem atque gubernatorem

torem universi, nego; Idealistam potius, *vim hypotheseos si perspicit eique conformiter in reliquis sentire intendit*, esse atheum, Deistam, Theologiam Naturalem prorsus reiicientem (durum est affirmare!) non nego; qui enim vi hypotheseos, Deum existere affirmare nequit, qui, quod magis est, argumenta Deum esse evincentia reiicere tenetur, num de Deo recte sentire poterit? Si Perill. Philosophus §. 636 637. Idealistam bonum esse posse hominem, patremfamilias, civem, putat: concedendum est de Idealista, sed non qua tali. Quod §. 640. 641. asseritur, verum itidem esse potest de Idealista; sed non de eo qua tali, et hypothesin suam ad praxin ducente. Ut quis convictus reddatur, quam egregie Idealista et menti spiritus sancti convenienter scripturae sacrae effata interpretur, legat ipse Tractatum Berckeleji, et num Deo tribuat creationem universi, eo sensu quem narratio Mosis et veritas requirit, perspiciet ipse. Sed forsitan, haecce asserens Viroque Perillustri contradicens, referendus sum ad Sciamachos, qui armis parum validis errorem oppugnant et vim hypothesium falsarum non satis perspiciunt! (§. 639. schol.)

SCHOL. (c) Obiicis forsitan, quod supra §. 7. II. Idealistam quoque esse posse Pluralistam sit dictum; quaerisque, quomodo hoc loco omnem Idealistam esse Egoistam teneri absque contradictione possit asseri? Resp. (§. 32. schol. a.). Obiicis adhuc forsitan, quomodo fieri queat absque contradictione, ut Idealismum nunc declaraverim hypothesin falsam et periculosam, quum eum tamen in Praefatione propemodum viderer sententiae NonIdealistarum praeferre. Sed ibi mihi rem fuisse cum iis, qui Idealismum, absque ut umquam in eius naturam et rationes inquisiverint, dictatoria auctoritate rident damnantque, memento!

§. 34.

Coronidem nunc operi impositurus, *Corporum ex quibus mundus aspectabilis constat realitatem extraidealem esse possibilem, probabilem, certo veram, contra Idealistas* (a) *affirmo*. Prius ex §. 28. repetere liceat. Dum enim Idealista asserere non potest non, quod argumenta pro corporum impossibilitate adstruenda ab ipso excogitata, efficientiaque ut quae possibilia antea assumebat, corpora deinceps declaret impossibilia, sint prorsus labefactata (§. 20. 21.): corporum realitatem extraidealem possibilem concedere est coactus. Alterum sic patet. Corpora extra animarum ideas existere affirmans assertum esse tale, negare nequit Idealista, cuius oppositum nullis prorsus rationibus firmis stabilire

liri poteſt, (Idealiſmum enim fundamento eſſe deſtitutum §. 26. docet); tale, quod enuntiat aliquid quod eſt poſſibile, (Corpora enim realiter exiſtere poſſe, modo dictum eſt); tale, in cuius ſtabilimen adhuc rationes allegari queunt, quae ſi non omnem oppoſiti formidinem excludentes et certo verae dici, tamen nulla etiam demonſtratione falſitatis inſimulari poſſunt (§. 29. 30.). Dumque itidem aſſerat oportet, eiusmodi aſſertum eſſe probabiliter verum (per princ. Logica): corporum realitatem extraidealem aſſumere probabilem tenetur. Ultimum eum in modum evinco. Concedat Idealiſta neceſſe eſt, quod aſſertum corpora extraidealiter exiſtere affirmans ſit eiusmodi, quo negato cuiusque oppoſito admiſſo negari veritates certae et admitti contradictiones debent. Corpora enim extraidealiter exiſtere qui negat, negare tenetur propriam ſui ipſius exiſtentiam §. 32. (ut ſilentio praeteream, quod exiſtentiam Dei, mundique tam materialis quam ſpiritualis, et veritatem religionis chriſtianae reiicere ſit coactus, §. 33; quae ſi forſitan quis negaret, ſe tamen exiſtere negare poterit nemo); adeoque admittere ſimul adigitur, ſemetipſum non exiſtere (§. 32.) et exiſtere (§. 5. 1.) Quum igitur concedat itidem neceſſe ſit, quod aſſertum, cuius negatio veritates evertit certas ponitque contradictoria, ſit certo verum (per princ. Logic.): corporum realitatem extraidealem adſtruere certo veram eſt coactus.

SCHOL. (a) Non autem ſolum *contra eum qui corpora exiſtere* deciſive negat, ſed eum quoque qui *in dubio relinquit, diſputari poterit.* Id quod ſequentem in modum tentare liceat. Is qui ex Nonldealiſta factus eſt Scepticus particularis, nimirum reſpectu exiſtentiae corporum, aſſumit hocce aſſertum: in dubio relinquendum an corpora extraidealiter exiſtant, an non (§. 31. ſch. c.)! Ergo, aſſumit aſſertum, ex quo idem de eodem ſub eodem reſpectu affirmari et negari debere ſequitur (Eiusmodi enim ſcepticus, quia aſſerit in dubio relinquendum an corpora exiſtant, ſe dubitare aſſerit; adeoque ſe exiſtere dubitantem, adeoque ſe exiſtere, deciſive affirmat; atque hinc de propria ſui ipſius exiſtentia non dubitare eſt coactus. Idem vero ex eodem aſſerto, de propria ſui ipſius exiſtentia dubitare tenetur §. 31. ſchol. c.). Ergo, aſſumit aſſertum ab ipſo negandum, (aſſertum enim quo poſito ponuntur contradictoria, negare Principium contradictionis iubet). Ergo, ſe negare debere aſſumit, quod in dubio ſit

reliquendum an corpora exiſtant extraidealiter an non. Ergo, ſe affirmare debere aſſumit, quod non in dubio ſit relinquendum. Ergo, ſe affirmare debere aſſumit, vel cum Idealiſtis, quod corpora extraidealiter non exiſtant; vel cum NonIdealiſtis, quod exiſtant. Prius affirmare nequit; quia cum Idealiſtis etiam ſe exiſtere et ſimul ſe nonexiſtere aſſumere teneretur. Poſterius itaque quod corpora realitatem habeant extraidealem, affirmet neceſſe eſt.

Errata quaedam et inſerenda.

Pag. 6. *lin.* 16. *pro* qui *lege* quae. *Pag.* 11. *lin.* 25. *pro* erunt *lege* erit. *Pag.* 31. *lin.* 23. *pro* diſputari *lege* diſputaturi. *Pag.* 35. *lin.* 3. *poſt verbum* pedis *inſeratur* communiter recepti. *Ibid. lin.* 9. *pro* habet *lege* habent. *Pag.* 48. *lin.* 17. *pro* infra *lege* nunc. *Pag.* 61. *poſt lin.* 8. *ponatur* Schol. (f). Vid Cel. Canzii Tractat. Idealiſmus Refutatus, qui eius Ontologiae Polemicae annexus eſt. *Ibid. lin.* 4. *ante* quia *ponatur* ac. *Pag.* 65. *lin.* 15. *pro* ſe *lege* eum.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Eschenbach, Johann C.

Idealismus fundamento destitutus Dissertatio philosophica

Rostochium 1752

4 Diss. 3163,12
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10957382-1
VD18 14918927-001